



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Sponsalia Et Matrimonium**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1726**

Titulus I. De Sponsalibus, & Matrimonio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75229)



## P A R S I.

## De Contractu Sponsalium, &amp; Matrimonij.

**C**ontractus Matrimonialis inter ceteros, qui à Laicis ineuntur, universalitate, antiquitate, & dignitate primus est: *universalitate* quidem; quia plerique Laici in Statu Conjugali vivunt, vel ad eum tendunt: *antiquitate*; quia originem suam debet ipsi nascentis mundi primordio, quippe qui in ipso Paradyso à rerum Conditore DEO est institutus, & su-

prema ejus autoritate ad indissolubilis vinculi perpetuitatem roboratus: *dignitate* denique; quia illum naturæ lapsæ reparator Christus supra rerum naturalium ordinem elevavit, ut sanctificantis gratiæ imposte- rum esset fons, atque inter novæ Legis Sacramenta recenseretur. Unicum Titulum Pars ista claudet, sed multis alijs amplio- rem.

## TITULUS I.

## De Sponsalibus, &amp; Matrimonijs.

**D**uplici membro Rubrica hæc constat: unum Sponsalium, alterum Matrimonij meminit. Hinc diversis etiam Sectionibus istorum Contractus examinabun-

tur: quibus addetur tertia de Sponsalium, & Matrimonij Impedimentis in genere, & quibusdam in specie.

## SECTIO I.

## De Sponsalibus.

**H**æc via sunt ad Matrimonium: hinc merito de ijs tractatur, antequam gra-

dus fiat ad ipsum Matrimonium.

## §. I.

## De Sponsalium Natura, atque Contractu.

## SUMMARIUM.

1. Etymologia nominis Sponsalium.
2. Acceptio diversa istius nominis.
3. An rectè detur etiam Matrimonium rato?
4. Concluditur affirmativa.
5. Rationes dubitandi solvantur.
6. 7. Quid intersit inter Sponsalia de futuro, & Sponsalia de presenti.
8. Alia Nomina, quibus Sponsalia de futuro significantur.
9. Horum definitio.
10. Cause, ob quas premiti Matrimonio solent.
11. 12. Hoc validum est, etiam ijs intermissis.
13. Contrahi possunt ab omnibus, inter quos aliquando consistere Matrimonium licitè, & validè potest.
14. Non possunt ea contrahere Infantes, furiosi, amentes.
15. Ebrj Theologicè.
16. Potest surdus tantum, aut mutus tantum, imò surdus, & mutus simul.
17. Non tamen surdus, mutus, & cæcus simul.
18. 19. Qualis requiratur deliberatio, rationis advertentia, & libertas ad contrahenda Sponsalia?
20. 21. 22. An valida sint, que ira, amore, aut alia simili passione impellente, contracta sint?
23. Quid dicendum, quando dubium est, an non iracundia, aut perturbatio alia deliberatione requisita privavit contrahentem?
24. Intellectus can. nec furiosus 26. caus. 32. q. 7.
25. 26. 27. 28. 29. Qualis scilicet Matrimonij valorem tollat?
30. 31. 32. 33. Ad quid teneatur, qui sub spe Matrimonij scilicet promissi virginem defloravit?
34. An vera sint Sponsalia, quando promittens habuit quidem animum se obligandi, sed venialiter tantum?
35. An Sponsalitia promissio semper debeat respicere personam certam, & determinatam?
36. 37. An Promissio incerta fiat certa per copulam cum una habitam ex ijs, quibus promissum est Matrimonium?
38. An casu, quo Pater promittit Titio se unam ex tribus suis filiabus ei daturum, teneatur aliquam ex ipsis tradere, si Titius unam defloravit?
39. Quid



39. Quid dicendum, quando Titius tribus puellis promittit, se illam ex ijs daturum, quæ certum ei obsequium præstiterit?
40. An ut promissio futuri Matrimonij obliget, opus sit, ut ea à promissario sit acceptata?
41. 42. 43. 44. An necesse sit, ut etiam accedat repromissio?
45. Quo casu acceptatio vim repromissionis habeat?
46. An acceptatio requiratur etiam ad inducendam obligationem ex promissione Matrimonij gratuita facta?
47. 48. An promissio Sponsalitia possit esse mere interna?
49. Qualia verba debeant esse, ut his expressus censeatur consensus Sponsalitiuus?
50. Regale aliqua ad dignoscendum, an Sponsalia revera sint iusta?
51. Diverse Sponsalium contrahendorum formule.
52. 53. An Matrimoniale, vel Sponsalium duntaxat contractum importent verba, Volo te habere in uxorem?

54. 55. 56. 57. Quid dicendum de formula, Nullam ducam præter, vel nisi te?
58. An consensisse in obligationem Sponsalitiuam censeatur Verba, quando ad promissionem Matrimonij sibi à Titio factam, tacet?
59. 60. 61. 62. 63. 64. Quid dicendum, si taceat ad Sponsalia nomine ipsius contracta à parentibus?
65. 66. 67. 68. 69. Aut à Tutoribus & cognatis eiusdem?
70. 71. 72. An sufficiens sit Sponsalitiæ promissionis signum traditio, & receptio anuli, missio jocalium &c.
73. 74. 75. 76. An promissio Matrimonij in eundi possit esse clandestina?
77. 78. Quomodo probetur contractus Sponsalium?
79. An Matrimonium censeatur initum, quando in præsentia Parochi & testium, convocatorum ad celebrationem Sponsalium, Sponsi utuntur verbis de præfenti?

**Q**Uæritur 1. quæ sit Etymologia nominis Sponsalium, & quàm diversa eius acceptio? 2. Sponsalia à Spondendo dicta sunt, ut rectè l. Sponsalia 2. ff. b. tit. monet Ulpianus; nam moris fuit Veteribus, ut uxorem ducturus, illam ab eo, sub cuius cura, & potestate erat, v. g. parentibus, tutoribus, in Matrimonium datum ita stipularetur, & nuptum daturus sponderet, i. e. spontè promitteret. Gell. l. 4. Noct. Attic. c. 4. Hinc quæ spondebatur, Sponsa, cui spondebatur, Sponsus, qui spondebat, Sponsor, dies, quo spondebatur, Sponsalis, totus verò is apparatus, & contractus, Sponsalia appellabantur l. unde 3. ff. b. tit. & l. Sponsio 7. ff. de V. S.

2. Acceptio Nominis Sponsalium non una est. Nam 1. & minus propriè accipitur pro Arrha, & Muneribus, quæ à Sponso dantur Sponsæ l. mulier 5. C. b. tit. & l. quidam 1. C. si nuptia ex rescript. petant. Quem sensum etiam Sacra Litteræ expresserunt 1. Reg. 18. v. 25. ubi Saul Davidi ob paupertatem suam tergiversanti inire Matrimonium cum Michol filia Saulis, eum quasi incitans, renuntiare iussit: Non habet Rex sponsalia necesse i. e. munera, & opes Sponsi. 2. Pro Matrimonio rato, & nondum consummato; nam & in huius contractu quædam sit promissio mutæ traditionis corporum, saltem tacite: imò matrimonium per sponsonem, seu stipulationem, sive interrogationem, & responsonem contrahitur c. si inter 31. b. tit. Zæf. hic n. 2. Et in hoc sensu Matth. 1. dicitur: Cum esset desponsata MARIA Mater JESU Joseph; nam tum jam inierant Matrimonium, quippe cum paulò post subjungat Evangelista: Joseph sili David, noli timere accipere MARIAM conjugem tuam; Coniux R. P. Schmalzgrueber,

enim dicebatur mulier ante consummationem, post eam autem Uxor. 3. Et magis propriè pro futuri Matrimonij promissione: & ut sic sunt præambulum quoddam Matrimonij, & dicuntur cum addito Sponsalia de futuro ad distinctionem Matrimonij rati, quæ appellantur Sponsalia de præfenti. Tertia hæc acceptio usitatissima est; nam in dubio, quando de Sponsalibus in Jure, vel aliàs sit mentio, sponsalia de futuro regulariter intelliguntur, Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 1.

Dubium moveri potest 1. an rectè Sponsalium nomen Matrimonio rato tribuatur? Videtur acceptio ista, & nomenclatio Sponsalium de præfenti prorsus eliminanda. 1. Quia erubescimus sine lege loqui Novell. 18. pr. atqui nullus in toto Jure textus Sponsalium de præfenti nomen dat Matrimonio, si credimus Gabr. Vasq. D. 4. de Matrim. apud Basil. Pont. de Sponsal. c. 1. n. 2. ubi hic fatetur, saltem in Jure Civili textum non suppetere, ergo &c. 2. Licet in Jure Canonico videantur insinuari Sponsalia de præfenti, communiter tamen DD. dum loquuntur de his, & nomen hoc tribuunt Matrimonio rato, semper ostendunt hunc non esse verum, legitimum, ac proprium sensum sponsalium, ut videre est apud Abb. ad Rubr. b. tit. n. 4. & 6. Fagnan. in c. ad audientiam 4. eod. n. 13. & alios passim. 3. Hoc modo Matrimonium ratum erit quædam quasi Species Sponsalium genericè acceptorum: quod videtur pugnare cum Rubrica præsentis Tituli, quæ Sponsalia à Matrimonio contradistinguit. 4. Si in sensu Canonico Matrimonio rato tribui posset nomen Sponsalium Tridentinum, dum sess. 24. c. 3. de reform. Matrim. Justitiæ publicæ honestatis impedimentum ubi Sponsalia



salia quacunq[ue] ratione valida non erunt, prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, vult, ut primum gradum non excedat, merito intelligi posset de Matrimonio rato; utitur enim termino generali Sponsalia, atqui ea verba S. Synodi nullo modo extendi possunt ad Matrimonium, ut declaravit S. Pius V. *Const. ad Romanum edita 1568*, ergo signum est, Pontificem cum Concilio Trid. supposituisse, per Sponsalia etiam in Jure Canonico non folere intelligi Matrimonium.

4 Sed his non obstantibus, retinenda omnino est nomenclatio Sponsalium de presenti. Ita Interprete Juris Pontificij facile omnes, & Civilistæ passim, non Orthodoxi tantum, sed etiam A catholici, ex quibus acceptionem istam expressè defendunt Wesenbec, *ad ff. de sponsal. n. 3.* Schneidevv. *ad Inst. de nupt. p. 1. n. 4.* Rittershus. *ad Novell. p. 7. c. 17. n. 7.* Tabor. *Thesaur. Locor. commun. Jurispr. V. Sponsalia axiom. 1.* Colleg. Argent. *in ff. de Sponsal. num. 5.* multum contra strepitantibus Treutler. *vol. 2. L. 6. de nupt. thes. 1. lit. D. Harppr. de nupt. n. 5.* Hothoman. *D. de Sponsal. c. 7. princ.* Nam 1. pro hac nomenclatione stat clarus textus Juris Canonici *c. tertio 13. de presumpt.* ubi dicitur *Sponsa*, in quam Juvenis de presenti consentit; & infra dicitur eandem sibi desponsasse, ac tandem in fine *cap. contractui* sic inito adaptatur vox *Sponsalia*, licet ista ob certum impedimentum dicantur fuisse nulla, & separanda. Concordant textus alij *can. qui desponsatam 12. caus. 27. q. 2. c. accepisti 2. Et c. fin. de Sponsal. duor. c. sicut 22. & c. si inter 31. b. tit.* ubi Conjuges vocantur *Sponse*, aut *desponsate*; & *conf. in ipso Matrimonio*, seu consensu conjugali dantur *Sponsalia*, seu *Desponsatio de presenti*. 2. Hunc loquendi modum etiam non horret Jus Civile; nam ut testatur Pont. *de Sponsal. c. 1. n. 2.* frequentissimum etiam in Jure Civili est, ut *Sponsa*, & *Sponsus* dicantur tam de presenti, quam de futuro. Exemplum præbet *l. quidam 1. C. si nupt. ex rescript. pet.* ubi idem Contractus & *Nuptiarum*, & *Sponsalium* nomine decoratur. 3. Favent SS. Litteræ; nam ut testis est S. Gregorius *can. desponsatam cit. Divinæ Legis est mos Sponsas appellare Conjuges &c.* 4. Accedit communis, & jam inveteratus mos loquendi tam apud Juris Canonici, quam Civilis Interpretes, qui in quæstionibus de nomine, qualis est præsens, vel maxime attendi debet, cum in materia propria loquentibus semper sit adhærendum. 5. Suffragatur ratio; nam etiam in Sponsalibus de presenti, ut *n. 2. innui*, fit quædam sponsio, & promissio, non quidem futuri conjugalis consensûs, qui jam tunc præsens est, sed in ordine ad effectus v. g. ad cohabitationem mutuam, ad fidem thori servandam, ad consummationem Matrimonij, ad quam

de presenti Matrimonium contrahens alteri parti, si petat, præstandam sese obligat.

5. Ad Argumenta in contrarium allata facilis est responsio. *Ad 1. esto*, in Jure Civili nullus reperiatur textus, qui Matrimonium ratum expressè compelleret Nomine Sponsalium de presenti, hæc tamen compellatio, ut *n. præc.* ostendi, eodem Jure fatis innuitur; & si istud quoque non fieret, versamur in materia Canonica, in qua modum loquendi, quo utuntur Juris Sacri interpretes, sequi deberent etiam ceteri, cum cuilibet in sua arte credendum sit. *Ad 2.* licet Sponsalium nomen Sponsalibus de futuro conveniat in sensu maxime proprio, sensus tamen adhuc genuinus, & legalis est, quando id nomen applicatur Matrimonio rato, cum hæc acceptio apud Interpretes Juris Canonici sit usitatissima. *Ad 3.* in Rubrica præsentis Tituli Sponsalium nomen sumitur in sensu rigidissimo, & in hoc sensu Sponsalia contradistinguuntur à Matrimonio. *Ad 4. merito S. Pius V. in Const. cit.* decidit in allegato Trid. loco Sponsalium nomine non venire Matrimonium ratum; quia Jura semper in dubio censentur uti vocibus in sensu obvio, & usitatissimo, qui in casu præsentis est, cum vox *Sponsalium* sumitur pro Sponsalibus de futuro.

Dub. 2. quid intersit inter Sponsalia de futuro, & sponsalia de presenti? *Primum*, & principale discrimen in eo situm est, quod Sponsalia de futuro multis modis dissolvi possint, de quibus *infra à n. 151.* contra Sponsalia de presenti non nisi duobus, Professione Religiosa, & Dispensatione Pontificia. Ex quo sequitur discrimen.

2. Quod in dubio, quando id habito Examine, vinci non potest; potius contra Sponsalia de futuro, quam pro illis judicandum sit; tum quia Jura proniora sunt ad liberandum, quam ad obligandum *l. Ariannus 47. ff. de V. O.* tum quia Matrimonia coacta, & nolentibus imposita solent habere funestos, & difficiles exitus *c. requisivit 17 h. t.* Contra cum dubitatur de valore Sponsalium de presenti, seu Matrimonij, non pro libertate, seu pro Matrimonio standum est: idque ideo; quia fortè tale Matrimonium est validum: quo casu si staretur pro libertate, sententia pro ista stans plurima post se incommoda traheret; nam, 1. daretur potestas contrahendi alias nuptias, quæ revera forent adulterinæ ob ligamen primarum nuptiarum non dissolutum. 2. sic contrahentes in usu hujusmodi Matrimoniorum paterentur perpetuas perplexitates, & scrupulos, quibus conscientia illorum angeretur. 3. maxima afferret incommoda educatio proles, si qua ex priori sic dissoluto Matrimonio foret suscepta Engl  
hic



hic §. 2. n. 11. Wiest. *ibid.* n. 37. Magnif. P. Schmier de Sponsal. p. 1. c. 3. n. 86.

3. Sponsalia de futuro contrahentes simpliciter vocantur *Sponsi*; contrahentes Sponsalia de presenti secundum communem, & frequentiore usum *Conjuges*. *Secundum communem*, & frequentiore usum, inquam; nam aliquando nomen Uxoris, mariti, vel conjugum Sponsos quoque, aut Sponsas, aut vice versa comprehendit: quod maxime contingit, si materia sit favorabilis; contra, si odiosa juxta *Reg. odia 15. in 6.* tunc enim voces istæ accipi debent in sensu stricto, & acceptione communi. *Excipitur*, nisi aliud ratio Legis, & mens Legislatoris, aut disponentium intendat Sic etenim licet in favorem Matrimonij introductum sit, quod conjux conjugi irrevocabiliter nihil donare possit per *l. moribus 1. & l. seq. ff. de Donat. int. vir. & uxor.* Id tamen in Sponsis non obtinet *l. cum hic status 32. §. si quis Sponsam 27. ff. eod.* Similiter quamvis uxor sortitur domicilium, honores, & dignitatem viri, hoc tamen ad Sponsam de futuro porrigi nequit *l. ea que 32. ff. ad municipal.* Contra in materia etiam odiosa ex mente Legis hujus dispositio ab uxore, & marito transfertur nonnunquam ad Sponsos; sic enim poena infamiae, quæ notantur illi, qui simul duas uxores habent, extenditur ad habentes duas sponfas *l. Prætoris 1. ff. de his, qui notant, infam.* Item poenæ Parricidij extenduntur ad illos, qui Sponsam, vel parentes Sponsæ suæ occidunt, est Lex Pompeja solum loquatur de uxore, aut marito, socero, aut genero *l. sed sciendum 3. & l. seq. ff. ad Leg. Pompejam de parricid.*

Dub. 3. quibus alijs nominibus Sponsalia de futuro in Jure, & à Ictis compelluntur? *1.* præter nomen Sponsalium plura alia Promissio Matrimonij sortitur nomina; nam *1.* vocatur *Fides Pactionis*, Ita Augustinus relatus *c. de duobus 1. de Spons. duor.* ubi Matrimonium etiam vocatur *Fides consensus*. *2.* *Spes Matrimonij*, seu *Nuptiarum*. Ita Ulpianus *l. si puella 6. ff. b. tit. 3. Præambulum*, seu *prævia dispositio Matrimonij*. Ita Ant. Cucch. *Inst. Can. l. 3. tit. 11. de Sponsal.* Pirh. *hic n. 1. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 1. §. 1. n. 4.* Hinc Petr. Gudelin. *l. 3. de Jur. noviss. c. 7. §. præter venditionem in fin.* aptè ait, in Sponsalibus quali concipi societatem conjugalem, quæ deinde quasi paritur & ad perfectionem deducitur in Matrimonio. *4.* *Sacramentalia Matrimonij*. Ita S. Thom. *in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. ad 6.* quod intelligendum est, non quasi Sponsalia haberent sanctitatem aliquam, sicut habent Exorcismi ante Baptismum, & alia Sacramentalia; sed quia sunt dispositio prævia ad Sacramentum Matrimonij, Petr. de Ledesm. *de Matrim. q. 43. art. 1. fol. 96. §. ultimò supponendum,*

Sanch. *l. 1. de Matr. D. 1. num. 3. Wex l. cit.*

Quæritur 2. quid sint Sponsalia? *1.* *Sponsalia strictè accepta*, seu *de futuro secundum Florentinum l. Sponsalia 1. ff. b. tit.* sunt *mentio*, & *repromissio futurarum nuptiarum*: quam Jcti definitionem secutus Nicolaus I. Sponsalia dicit esse *futurarum nuptiarum promissa fœdera*, prout habetur *can. nostrates 3. caus. 30. q. 5.* Communiter definiuntur, quod sint *mutua*, & *reciproca promissio futuri matrimonij*. Ita Valent. *D. 10. general. q. 2. p. 1. Tolet. l. 7. summ. c. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 1. Pal. tr. 23. D. 1. p. 1. n. 5. Pirh. hic n. 2. König n. 5. Wiest n. 10.* Explicatiorem ista afferit P. Jacob. *Wex p. 1. cit. §. 2. n. 3.* ubi Sponsalia definit, quod sint *Promissio, acceptata, voluntaria, seria, deliberata, & libera, mutua, signoque sensibili expressa futuri Matrimonij inter personas determinatas, ac Jure habiles*: ubi indicantur requisita, ut obligatio Sponsalitia inducatur per promissionem futuri Matrimonij; nam *1.* debet esse celebrata inter personas habiles. *2.* facta deliberatè, ac liberè. *3.* vera sine fictione. *4.* determinata, seu respiciens personam certam. *5.* mutua, seu reciproca. *6.* expressa voce, vel alio signo externo. *7.* denique à Promissario, seu eo, cui promissio istiusmodi fit, acceptata: quæ singula hic examinabimus.

Dub. 1. ob quas causas Sponsalia nuptijs præmitti soleant? *1.* quinque maxime afferri solent. *Prima*, & apud Veteres præcipua fuit, quod cum femina non sui juris, sed in potestate essent parentum, fratrumve, & istorum consensus necessarius esset *l. in Sponsalibus 7. & l. in potestate 10. ff. b. tit.* dandum his fuerit spatium, quo liberis, aut alijs suæ potestati subiectis optimo, quo possent, modo providerent.

*2.* Ut Sponsus Sponsæ, & hæc vicissim Sponsi interea experiretur mores, atque ingenium; cum enim contractus Matrimonij inducat perpetuitatem, & indissolubilitatem vinculi, maxima circumspectione, & maturitate est procedendum, ne dispares moribus jungantur, & sic infelices sint Matrimoniorum exitus.

*3.* Ut Sponsi parent ea, quæ subeundis conjugij oneribus, profectò gravissimis, necessaria sunt, nam idcirco etiam Divino Jure Sponsis indulta est à bello immunitas. *Deut. 20. v. 7. & Machab. 1. c. 3. v. 56.* quam annuam fuisse perhibet Josephus *Antiq. Jud. l. 4. c. 6.*

*4.* Ut ipsa Nuptiarum dilatione, quæ ducenda est, carior sit impoterum, magisque deligatur; ea enim de causa, ut *can. institutum 39. caus. 27. q. 2.* dicitur, *institutum est, ut jampactæ sponse non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspicavit sponfus dilatatam.*



5. Ut interea Nuptiæ futuræ à Parochis publicè denuntiari Ecclesiæ possint, & siquod fortè obstare videatur, impedimentum opponi, probarique *c. fin. pr. de clandest. despons. & Trid. sess. 24. c. 1. §. cui malo de reform. matr.*

11 Dub. 2. an Matrimonium contrahi valeat sine prævijs Sponsalibus? Negat Harpprecht *ad Inst. de nupt. n. 2.* ubi ait, quod *nec fingi possit, ut contrahatur Matrimonium, si prius de eo contrahendo conventum non sit.* Verùm hæc ejus sententia nec à Jure, nec à ratione adminiculum habet. Hinc dicendum absque prævijs Sponsalibus Matrimonium validè posse contrahi. Ita cum communi DD. aliorum Tanner. *tom. 4. D. 8. q. 1. n. 2.* Gobat. *Exper. tr. 10. n. 8.* Pirh. *bic n. 6.* Schamb. *ibid. n. 7.* König *n. 6. §. ea tamen*, Wiest. *n. 9.* Magnif. P. Schmier *de Sponsal. p. 1. c. 1. n. 24.* & supponitur aperte *c. ex parte 9. c. sicut ex literis 22. c. si inter 31. b. tit. & l. questum 9. ff. cod. Ratio est; quia, ut infra Tit. 3. ostendetur, prævia pactio sponsalitia, & ipsa etiam denuntiatio solennitas non pertinent ad Matrimonij valorem, & substantiam.*

12 *Ex quo sequitur*, Adversarium vehementer decipi, dum existimat, casum fingi non posse, quo ad contractum Nuptiarum perveniat, nulla Sponsalitia conventionione prævia; nam omnes fatentur, validum esse Matrimonium, in articulo mortis, præsentè Parocho, & testibus celebratum cum concubina ad legitimandam prolem. Extra mortis articulum illicitè quidem contrahitur, non tamen ob Sponsalia, sed ob Denuntiationes omisissas. Et hinc casu, quo absque prævia pactione, & obligatione Sponsalitia, propositum Matrimonij ineundi, quod duo habent, ter publicè Ecclesiæ denuntiaretur, his denuntiationibus factis, Matrimonium & validè, & licitè dein contrahi posset, cum talis Contractus nullo Jure sit reprobatus; non *c. institutum cit.* quia ibi dicuntur solum Sponsa pacta non statim tradi, non tamen prohibetur eas sine pactione & obligatione, solo animi proposito destinatas, & denuntiatas ex intervallo duci: non *Trid. sess. 24. c. 1. cit.* quia hoc solum præcipit Matrimonia contrahenda denuntiari, non tamen jubet Sponsalitiã pactionem præmitti.

13 Quæritur 3. quinam contrahere possint Sponsalia? *Res generatim loquendo* ab illis solum contrahi Sponsalia possunt, inter quos aliquando Matrimonium consistere licitè, & validè potest. Ita communis apud Tann. *tom. 4. D. 8. dub. 2. n. 16.* Pirh. *bic n. 9.* Schamb. *n. 10.* Ratio est; quia Sponsalia sunt promissio futuri Matrimonij, ergo, ut valeant, debent esse promissio liciti, & validi Matrimonij; quia promissio rei illicitæ, etiam Juramento firmata, non valet,

Dixi, aliquando consistere; non enim respiciendum est tempus; quo contrahuntur Sponsalia, sed tempus, quo impleri debet eorum obligatio. Hinc, etsi impuberes tempore impubertatis contrahere Matrimonium nequeant, possunt tamen, si discretionem sufficientem habeant, contrahere Sponsalia: Item licet ille, qui Castitatem ad unum, vel duos annos vovit, durante Voti vinculo, inire Matrimonium sine peccato nequeat, eo tamen tempore validè, & licitè promittit Matrimonium ineundum tunc, cum Voti Religio non amplius obligat. Vallens *bic §. 2. n. 1.* König *n. 16.* Magnif. P. Schmier. *de Sponsal. p. 1. c. 2. n. 26.*

Dub. 1. quinam in specie Sponsalia, vel Matrimonium contrahere nequeant? *§. 1. Infantes & qui nondum usum rationis ad hoc requisitum habent.*

2. *Amentes & furiosi* ob eandem rationem, & ob defectum, qui inde sequitur, pleni, & deliberati consensûs, prout constat ex *c. dilectus 24. b. tit.* Sanch. *l. 1. de Matr. D. 8. n. 15.* Excipitur, nisi dilucida intervalla habeant; nam eo tempore, quo illa habent, contrahere saltem validè Sponsalia, & Matrimonium possunt, neque si postea furor denuo superveniat, Sponsalia, & Matrimonium ab eo contractum invalidum redditur, S. Thom. *in 4. diff. 37. q. un. art. 4.* Covar. *4. Decret. p. 2. c. 2. n. 5.* Sanch. *D. 8. cit. n. 16.* & alij Passim. Ratio est; quia libertas, & discretio requiritur pro contractu Sponsalium, & Matrimonij tantum, non verò post contractum jam initum. Addidi, *saltem validè*; nam regulariter furiosus, & amens, etsi dilucida intervalla aliquando habeat, illicitè tamen etiam eo tempore Sponsalia, & Matrimonium contrahit; quia si perpetuo furore laboret, ineptus est ad prolem educandam, nisi id muneris alij committere possit Sanch. *n. 18.* Pirh. *bic n. 10.* Schamb. *n. 11.* Si dubitetur, an actus sit gestus à furioso furoris tempore, an tempore lucidi intervalli, in tali dubio actus præsumitur gestus tempore furoris; quia hic præsumitur durare omni tempore. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 136. n. 3.* Sanch. *in c. dilectus cit. n. 5.* Pirh. *l. cit. Excipitur*, nisi ex actûs qualitate præsumendum sit esse gestum tempore sanæ mentis Menoch. *l. 6. pres. 45. n. 68. cum cit.*

3. *Ebrii* intellige, Theologicè, seu cum exilio mentis, & rationis; nam hi, si tempore ebrietatis Sponsalia, vel Matrimonium contrahant, nihil agunt, cum libero consensu, & deliberatione & ipsi careant. An hoc etiam procedat de eo, qui ante ebrietatem voluntatem habuit contrahendi Sponsalia, vel Matrimonium, dubitari posset; posset enim aliquis existimare esse validam. 1. quia Baptismus eo tempore coi-

laus



jatus valet, si antea petitus fuit. 2. quia tali casu non deficit deliberatio requisita ad peccatum mortale: homicidium enim tunc commissum, si tempore, quo sui compos erat, fuit pravissimum, culpa lethalis est. *Sed dicendum*, non sufficere eam voluntatem. *Ad 1.* negatur paritas: ad Baptismum enim sufficit intentio habitualis in suscipiente; non autem in Matrimonio, ubi suscipientes sunt Ministri ejus Sacramenti, cujus actus debet esse humanus. *Ad 2.* homicidium illud fuit voluntarium in causa cui cum adferretur effectus, mirum non est, quare occisio tunc peccaminosa sit. Aliter res sese habet in Sponsalibus, & Matrimonio; nam voluntas illa contrahendi Sponsalia, vel Matrimonium non est causa Contractus Matrimonialis, vel Sponsalitij, esto, verba hunc significantia pronuntiantur in ebrietate, cum humano modo pronuntiarum debeant, & cum actuali advertentia ad id, quod agitur.

16 Dub. 2. utrum, qui sensibus destituti sunt, Sponsalia possint contrahere? *Certum est* quod Sponsalia possit contrahere, qui surdus tantum est, vel mutus tantum, imò etiam si surdus, & mutus simul, prout sumitur ex c. cum apud 23. h. tit. *Ratio est*; quia tales saepe sunt ita perspicacis, & acuti ingenij, ut multa explicati difficilissima facile signis manifestent, aliæque ipsis significata intelligant, ut experientia testis est, igitur signis edoceri etiam poterunt, quid sit Matrimonium, & mutu, vel alio signo ipsi significare suum consensum.

17 *Diffinitas est*, si quis simul sit mutus, surdus, & cæcus, an contrahere Sponsalia, vel Matrimonium possit? *Negant* Ancharan in c. cum apud cit. n. 5. Sanch. l. 1. de Matr. D. 8. n. 19. König hic n. 13. Magnif. P. Schmier. p. 1. de Sponsal. c. 2. n. 13. § 14. *Rationem dant*; quia non apparet, quomodo hic intrui possit, quid sit Matrimonium; non enim potest intrui signis, cum cæcus sit, non etiam verbis, cum surdus sit. Et extendunt hoc etiam ad mutum, surdum, & cæcum ex accidenti post Nativitatem; tametsi enim talis noverit, quid sit Matrimonium, & cum qua persona illud velit contrahere, attamen voluntatem suam intelligibiliter declarare, & vicissim alterius mentem intelligere non poterit. Ego judico, his argumentis rectè probari, moraliter loquendo, & ordinariè hujusmodi hominem Sponsalium, & Matrimonij contrahendi incapacem esse, quidquid sit, an fieri id possit physicè, de quo dubitare videtur Tann. tom. 4. D. 8. dub. 2. n. 32.

18 *Quæritur 4.* qualis requiratur deliberatio, rationis advertentia, & voluntatis libertas, ut Sponsalia valeant? *R.* ea requiruntur, & sufficit, quæ requiruntur, & sufficit ad mortaliter peccandum. Ita Navar. Man. c.

18. n. 7. Molin. tr. 2. de J. & J. D. 267. n. 7. Gutier. de Matr. c. 7. n. 6. Sanch. l. 1. de Matr. D. 8. n. 5. Pirh. hic n. 4. Wiest. n. 11. & communiter ceteri. *Ratio est*, quia Sponsalia sunt actus humanus, ergo sine libertate, & deliberatione non consistunt, & quidem plenâ, sicut peccatum mortale, sub quo obligant, plenam deliberationem exigunt. *Conf.* nam ea deliberatio ad Sponsalia merito exigitur, quæ exigitur ad quamcunque aliam promissionem homini factam. atqui ad hanc ex communi DD. requiritur deliberatio plena, præsertim si illa sub mortali peccato obliget, ergo &c.

*Ex quo sequitur 1.* invalida esse Sponsalia contracta ante septennium, saltem si ætatem istam non antevertat usus rationis c. litteras 4. c. accessit 5. & c. ad dissolvendum 13. de despons. impub. quia ante illam ætatem, regulariter saltem, non adest libertas ad mortaliter peccandum requisita. Idem dicendum de contractis in somno, ebrietate, amentia, furore juxta dicta n. 14. § 15. 2. Invalida sunt extorta per vim absolutam; quia voluntaria, & libera, ac proinde actus humanus non sunt. *Dixi per vim absolutam*; nam extorta per vim conditionalem, seu metum, etsi is gravis sit, & injustè incusus, probabilius tamen valent, licet rescindi possint, ut infra dicitur, & constat etiam ex eo, quia metus etiam gravis advertentiam rationis, & libertatem, ad mortaliter peccandum requisitam, non tollit. 3. Contracta errore circa substantiam personæ, aut etiam circa qualitatem, si hæc redundet in istius individuum, seu substantiam, ut iterum plenius ostendetur infra, & patet ex eo, quia hujusmodi error tollit consensum liberum, ad substantiam, & valorem Sponsalium requisitum l. si per errorem 15. ff. de Jurisdic. om. Judic. & l. non idcirco 9. C. de Jur. § fact. igno.

*Dub. 1.* an valida sint Sponsalia, quæ irâ, amore, aut alia simili passione impellente, sunt contracta? *Negativæ* patrocinantur Gloss. in can. si quis iratus 5. V. si quis caus. 2. q. 3. & in l. divortium 3. pr. ff. de divort. Bartol. ad Reg. quidquid 48. ff. de R. 7. Decius ibid. n. 1. Jalon, ad l. si filiam n. 5. de inoffic. testam. Felin. in c. Mattheus n. 2. notab. 2. de Simon. Tiraquell. de pæn. temper. caus. 1. n. 24. & de privil. caus. pia privil. 18. & alij apud Sanch. l. 1. de Matr. D. 8. n. 4. Fundantur 1. can. si quis iratus cit. ubi Fabianus Papa vult convitium non habendum pro accusatione, si ab irato dictum, & crimen alicui temere objectum sit, sed expectandum, an id, quod iratus dixit, se per scripturam probaturum esse fateatur, ut si fortasse respiciens, quæ præ iracundia dixit, iterare, aut scribere noluerit, non ut reus criminis teneatur. 2. can. divortium 21. de pæn. dist. 1. etique consona l. divortium 3. ff. de divort. ubi habetur, quod uxor, per calorem misso repudio, si



brevi reversa sit, nec divortisse videatur. 3. Reg. quidquid cit. ubi Paulus Jctus, Quidquid, inquit, in calore iracundie vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit iudicium animi fuisse. 4. Ratione; quia ira incitatus furioso magis, quam ratione utenti est similis juxta illud Flaccii: Ira furor brevis est; & secundum effatum Euripidis: Nemo cum ira quidquam recte deliberat.

21 Sed dicendum, regulariter valida esse Sponsalia, quæ ira, vel alia simili passione impellente, contracta sunt. Ita Navar. Man. c. 18. n. 7. Sanchez. l. cit. n. 5. Conninck. D. 21. dub. 2. n. 18. concl. 6. Molin. tr. 2. de Just. D. 267. n. 1. Gutier. de matr. c. 7. à n. 5. Pal. tr. 28. D. 1. p. 2. n. 4. Perez de Matr. D. 1. f. 3. n. 8. König hic n. 32. § 33. Wiestner n. 14. cum communi DD. Ratio est; quia tales animi affectiones communiter hominem non ita perturbant, neque adeo rationis usum, & voluntatis libertatem tollunt, ut non peccatum mortale possit committere. atqui juxta dicta n. 18. ad Sponsalia validè contrahenda ea libertas sufficit, quæ sufficit ad peccandum mortaliter, ergo &c. Conf. hæc libertas, & deliberatio sufficit, ut validum sit Votum, & Juramentum, ex communi doctrina, ergo etiam sufficit, ut validè contrahantur Sponsalia.

22 Neque obstant Argumenta adversa sententia. Ad 1. ibi jubetur expectari tempus, ut habeatur perseverantia, quæ efficacissimum medium, & indicium est, an convitium dictum sit serid, an joco, deliberatè, an indeliberatè. Ad 2. ibi aliud non statuitur, quam ratum habendum non esse divortium mulieris à marito recedentis, si perseverantia desit, quod ista deficiente, ob specialem Matrimonij favorem censeatur recessisse potius animo contestandi animi commotionem, & iram, quam verè, & serid divertendi. Ad 3. textus ille, & alij similes explicari possunt de calore iracundie, quæ rationis advertentiam adimit, & ad mortaliter peccandum non sufficit. Quodsi contendas, hunc textum ob generalitatem verborum intelligendum de calore iracundie, etiam non evertente usum rationis, non multum contendam tecum, sed dicam dispositionem illius Legis non admodum attendendam, cum sit in materia Matrimoniali, quæ Spiritualis est, & Ecclesiasticæ potestati subiecta. Ad 4. etsi furioso similis aliquo modo sit iratus, non tamen omnino; quia plerumque adhuc usum rationis habet, quamvis ita corruptum, ut nihil prudenter deliberet: quod tamen libertati, ad mortaliter peccandum requisitæ, non officit; igitur nec officiet libertati Sponsalium.

23 Dub. 2. quid dicendum, quando est dubium, num iracundia, aut perturbatio deliberatione requisita privavit Sponsalia

contrahentem? Videtur standum pro libertate contra Sponsalia, ex doctrina n. 6. tradita. ubi dixi, in dubio, quando id, habito examine, vinci non potest, judicandum contra Sponsalia. Conf. nam ipse iracundie calor præsumptionem facit, quod inconsultè gesta sint, quæ in eo calore gesta sunt.

Sed meliùs Abb. in c. dudum 20. num. 8. de convers. conjug. Alex. de Nevo in c. sicut ex litteris 22. n. 18. de furejur. Felin. ibid. n. 3. Sanch. l. 1. de Matr. D. 8. n. 10. ajunt eo casu judicandum pro valore actus; quia rarè contingit, ut in tantum iracundia exardescat, ut rationis usum impediatur, sicut rarissimè ex vehemènti iracundia occidens alterum excusatur à mortali. Conf. nam qualitas, quæ naturaliter homini inest, semper adefse præsumitur, ut ex Alciato probat Menoch. l. 1. de præsumpt. q. 24. n. 3.

Ad Rationem dubitandi pro libertate contra Sponsalia in dubio pronuntiandum est, quando libertas est in possessione: in nostro casu Sponsalia sunt in possessione; quia certum est ea fuisse contracta, & tantum dubitatur, an contracta sint cum sufficienti rationis usu, qui tamen, ut dixi, præsumitur. Ad Conf. etsi præsumatur factum ex calore iracundie factum inconsultè, i. e. non maturo consilio, non tamen præsumitur factum sine deliberatione sufficiente ad peccatum mortale.

Dub. 3. quomodo intelligi debeat can. 24. nec furiosus 26. caus. 32. q. 7. ubi in fine habetur, furiosos, si Matrimonium contraxerint, non separandos: conf. videtur supponi, Matrimonium ab his contractum valere, cum invalide contrahentes indubitato sint separandi. Sc. verba hæc intelligenda de furiosis, qui Matrimonium inierunt, dum essent sanæ mentis; cum enim sic contracti vinculum non dissolvat furor, & amentia superveniens, hinc Fabianus Papa meritò vetuit, eos propterea separari. Fundamentum sic explicandi hunc textum præbet principij istius can. ubi disertè asseritur, neque furiosum, neque furiosam Matrimonium contrahere posse, quod, ut ibi Glossa ait, non possint consentire.

Quæritur 5. qualis fictio Sponsalium 25. valorem tollat? Potest fictio in promissione Sponsalitia contingere dupliciter, 1. Quando promittens habet quidem animum promittendi, non tamen animum eam implendi. 2. Quando etiam non habet animum promittendi, sed verba solum pronuntiat, positivè excludens animum se obligandi. Si primo modo contingat fictio, convenit inter DD. ejusmodi promissionem verè Sponsalitam, & obligatoriam esse, licet ita promittens peccet. Ratio est; quia cum de essentia promissionis sit obligare promittentem, ne infidelis existat, im-



implicat, ut quis habeat animum promittendi absque animo se obligandi. Addidi ita promittentem peccare: quod sequitur ex ratione data; quia qui ad aliquid faciendum se obligat, sicut ad executionem, ita etiam ad habendam exequendi voluntatem obligatur. Controversia, &

<sup>26</sup> Dubium 1. est, quando fictio contingit secundo modo, & promittens verba solum pronuntiat, positive excludens animum se obligandi? Petr. de Ledesm. de Matr. q. 43. art. 1. dub. 2. Valq. D. 6. de Matr. c. 3. n. 27. Pont. l. 12. de Matr. c. 2. Gutier. c. 9. de Matr. pr. relati à Pal. tr. 28. D. 1. q. 2. n. 2. putant etiam sic promittentem obligari tum ex fidelitate, tum ex iustitia, ut promissis stet: ex fidelitate quidem; quia talis revera offert alteri fidem de Matrimonio contrahendo: ex iustitia autem; quia sub ea fide data ab altero contrahente accipit veram, & absolutam promissionem, quam nullatenus ipse præstaret, si jus iustitiæ non obtineret ad repromissionem sibi faciendam.

<sup>27</sup> Sed verius Sanch. l. 1. de Matr. D. 9. n. 5. Less. l. 2. de J. & J. c. 18. n. 5. Conink de Matr. D. 21. dub. 2. n. 7. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 10. Pal. p. 2. cit. n. 2. & ceterum. Zæf. hic n. 8. & 19. Pirh. n. 4. Schamb. n. 29. König n. 30. Wiest. hic n. 18. negant, huiusmodi promissione ficta Sponsalia, & obligationem Sponsalitiæ contrahi. cons. is, qui promissionem huiusmodi fictam puella fecit, ex vi talis promissionis non tenetur eam ducere. Ratio est; quia ad substantiam promissionis veræ spectat animus se obligandi. Sponsalia autem sunt vera promissio futuri Matrimonij, ergo &c. Conf. 1. quia Sponsalia sunt lex privata, quam sibi promittens ipse imponit. ad Legem autem necessaria est voluntas obligandi in eo, qui eam imponit ergo &c. Conf. 2. actus agentium non operantur ultra intentionem illorum. atqui in casu presenti non adest intentio se obligandi. ergo neque contrahitur obligatio. Conf. 3. qui Matrimonium contraheret animo se non obligandi ad actus conjugales ex se aptos ad generationem proles, invalidè illud contraheret c. fin. de condit. apposit. ergo etiam invalidè contrahit Sponsalia, qui illa contrahit animo promissione illa se non obligandi; nam ut prior intentio substantiæ Matrimonij, ita posterior substantiæ Sponsalium repugnat.

<sup>28</sup> Addidi ex vi promissionis; nam sic promittendo committit mendacium perniciosum, & graviter peccat contra Iustitiæ, quæ præscribit, ut in quolibet contractu utrinque obligatorio, qualis est Sponsalium, uterque verè contrahat: proinde si is, cui facta est eiusmodi promissio ficta, patiat inde damnum aliquod, quod aliter refarciri non potest, nisi contracto Matrimo-

onio, ad hoc contrahendum tenebitur, ut rectè advertunt Laym. Schamb. & alij supra citi. Imò si ita fictè promittens fictionem probare nequeat, ad ita contrahendum compelli poterit in foro externo, etiamsi parti, cui talis promissio facta est, nullum accreverit damnum; quia fictio, cum sit facti, probari debet, & donec probetur, præsumuntur verba concordare menti, & sic facta promissio vera Sponsalitiæ.

Ad Argumentum adversæ sententiæ <sup>29</sup> dico, etsi fictè promittens contra veracitatem peccet, ad implendam tamen promissionem eum nec ex fidelitate, nec ex Iustitia obligari: non ex fidelitate; quia obligatio fidelitatis solum oritur ex promissione vera: non ex Iustitia; quia hæc non obligat vi promissionis, à qua animus se obligandi abest, cum sine hoc non transferatur jus aliquod in promissarium, ex quo is petere impletionem promissionis possit. Neque obstat, quòd alter deceptus verè, & absque fictione promittat; quia eam promissionem decipiens non acceptat, etsi simulet se acceptare, & si acceptaret serio, non tamen reciprocè promittit, quod ad Sponsalium valorem requiritur, cum sit contractus ex natura sua reciprocus.

Dubit. 2. ad quid teneatur, qui sub spe Matrimonij fictè promissi Virginem defloravit? Facile convenit inter DD. ad nihil eum teneri, si fictio, seu fallax animus ob nimiam inæqualitatem conditionis, vel ex alijs circumstantijs non difficulter adverti potuit: & ratio est; quia sic deflorata fraudi videtur consensisse. Sanch. l. 1. de Matr. D. 10. n. 5. Pont. l. 12. de Sponsal. c. 2. n. 16. Pal. tr. 28. D. 1. p. 2. n. 3. cum S. Thom. 4. dist. 28. q. iii. art. 2. ad 4.

Difficultas est, ad quid teneatur deflorans casu, quo fictio facile deprehendi non potuit? Sylv. V. luxuria n. 5. Navarr. Man. c. 16. n. 18. Molin. tr. 3. de J. & J. D. 106. n. 4. Less. l. 2. de Jus. c. 10. n. 20. Sanch. l. 1. de Matr. D. 10. n. 3. Pont. l. 12. de Matr. c. 2. circa fin. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 10. Dicastill. de Sacram. tr. 10. D. 1. dub. 9. n. 155. Pal. p. 2. cit. n. 3. & omnino, Engl. hic §. 2. n. 13. König n. 31. & plerique, Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 3. n. 61. cum multis alijs eum determinatè obligant ad defloratam ducendam. Fundantur 1. textu c. si seduxerit 1. de adulter. quod sumptum est ex Exod. 22. ubi hæc verba leguntur: Si seduxerit quis Virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem: ubi textus utitur particulâ copulativâ Et. conf. deflorans non satisfacit, si dotet, vel ducat disjunctivè. 2. Iustitia commutativa non tantum petit reddi æquale, sed ut reddatur idem, quod ex Iustitiâ erat debitum,

B

ut

R. P. Schmalzgrueber, L. IV.



ut si quis equum furatus sit, non sufficit reddere pecuniam, cum aliud pro alio invito creditori reddi non possit *l. mutuum 2. §. mutui 1. ff. de reb. credit.* sed decipiens ex Iustitia tenebatur habere consensum in Matrimonium, quando altera pars vicissim consensit verè, & insuper corpus suum tradidit. ergo cum possit restituere adhibendo dictum consensum, tenebitur ad id, & non satisfaciet præstando aliud. 3. In Contractu innominato *Do, ut des, facio, ut facias*, si unus contrahentium eundem implevit, etiam alter contrahens tenetur eum implere, atqui ita deflorans, dum acceptat copulam sub conditione nuptiarum oblatarum, censetur celebrasse talem Contractum, ergo &c. 4. Ita deflorans sub promissione ficta Matrimonij decepit injustè, & per dolum, sed injusta deceptio compenari debet saltem auferendo injustum dolum, quod hoc casu fiet præstando consensum verum. 5. sic deflorans in foro externo debet, ac solet cogi ad promissionem suam implendam: quod non fieret, si obligationem non contraxisset.

32 Sed etsi sententia hæc sit valde probabilis, probabilior tamen est, quæ docet, sic deflorantem non teneri ad defloratam ducendam, sed satisfacere, si constituta ipsi, vel aucta dote, defectum deflorationis suppleat. Ita *D. Anton. 3. p. tit. 7. c. 19. pr. & supplem. Gabr. 4. dist. 28. q. 1. art. 2. concl. 5. Barth. de Ledesm. de matrim. dub. 19. fol. 1296. Bonacin. de Sacram. q. 1. p. 2. n. 9. Perez D. 2. de Matr. f. 4. n. 3. Wiest. hic n. 20.* Ratio est; quia si ad eam ducendam determinatè obligaretur, obligaretur vel ex promissione, ut contendit Pontius, vel ratione damni, ut vult Sanchez *Non ex promissione*: quia hæc promissio ponitur esse ficta; ex ficta autem promissione per se non nascitur obligatio implendi promissionem, ut probatum est *n. 27.* *Non ratione damni illati*; quia hoc constituta, vel aucta dote, aut alia ratione resciri potest: unde tunc solum tenebitur eam determinate ducere, quando dotem constituere, vel damna ex defloratione secuta aliter rescirre non potest.

33 Ad Argumenta Sententiæ contrariæ responderi hoc modo potest. *Ad 1.* dispositio *c. si seduxerit cit.* hodie ex consuetudine, & usu Tribunalium disjunctivè accipienda est: quod novum non est; nam ut *l. sepe 53. ff. de V. S.* Paulus Jctus ait; *Sepe ita comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur.* *Ad 2.* decipiens casu, quo deceptus consensit verè, & corpus suum tradidit, ex Iustitia tenetur habere verum consensum, si consensum decepti, & traditionem ab ipso factam sub ea conditione acceptavit, conceditur; secus, negatur. *Ad 3.* negatur, quòd copula à deflorante revera sit acceptata sub conditione, sub qua

est oblata; hoc ipso enim, quòd promissio fuerit ficta, consensus defuit in conditionem. *Ad 4.* dolus injustus sufficienter jam aufertur, dum constitutione, vel auctione dotis cavetur, ne ille sit noxius. *Ad 5.* imprimis, ut *n. 28.* dictum est, ad Matrimonium ineundum in foro externo compelli etiam solet ille, qui id fictè promisit absque defloratione. Deinde ratio hujus dari facile potest; ideo enim sic promittentes Matrimonium compelluntur ad illud contrahendum, quia in foro isto præsumitur is, qui verbis aliquid promisit, etiam habuisse animum promittendi, & se obligandi.

Dub. 3. an vera sint Sponsalia, 34 quando promittens habuit quidem animum se obligandi, sed venialiter tantum? *Sor. l. 7. de Just. q. 2. art. 1. §. per hæc* cum quibusdam alijs videtur inclinare in negativam; quia in Voto, cum quo in hoc passu assimilantur Sponsalia, putat non esse in potestate voventis obligare se ad culpam mortalem, vel venialem, sed ait id juxta materiæ qualitatem, vel gravitatem pensandum esse.

Sed etsi istud procedat, quando Voti materia levis est, ut sibi vovens imponere nequeat obligationem gravem, quòd talis voluntas ut fatua, & irrationabilis non acceptetur à Deo; non tamen locum habet, quando materia Voti est gravis, cum ad vitam ex communi DD, se vovens obligare possit sub levi: & merito; nam promissio est Lex privata, quam promittens sibi imponit. at Legislator potest sub veniali obligare in materia gravi, ergo &c.

Hinc judico cum *Sanch. l. 1. de Matr. D. 9. n. 6.* posse aliquem in Sponsalibus se velle adstringere ad solam culpam venialem, & tamen contrahere vera Sponsalia; quia promissio ita facta est vera promissio, cum adsit animus promittendi, & se obligandi; nec est de essentia, ut se obliget ad mortale.

Quæritur 6. an Sponsalitia promissio 35 semper debeat respicere personam certam, & determinatam? *By.* affirmative. Ita *Gutier. de Matr. c. 16. n. 1. Sanch. l. 1. de Matr. D. 26. n. 1. Bonacin. de Sacram. q. 1. p. 3. n. 2. Pal. tr. 28. D. 1. p. 2. n. 7. König hic n. 14. Wiest. ibid. n. 22.* Ratio est; quia Sponsalia sunt via ad Matrimonium, & quædam istius inchoatio, ergo sicut Matrimonium contrahi non potest, nisi cum una, eaque certa, & determinata persona, ita nec Sponsalia. *Conf.* si Sponsalia, quæ certam, ac determinatam personam non respiciunt, essent vera Sponsalia, ex ijs nasceretur impedimentum publicæ honestatis; contrarium autem decisum est à Bonifacio VIII. *c. un. b. tit. in 6.* ubi statuitur, quòd ex incertis Sponsalibus hoc impedimentum non nascatur.

Ex



Ex quo sequitur, non contrahere vera, & perfecta Sponsalia, qui promittit se unam ex tribus sororibus ducturum, etsi istæ vicissim polliceantur, quod siquam ex ipsis elegerit, illa sit ipsi nuptura. König hic n. 14.

Dixi perfecta Sponsalia; nam imperfecta Sponsalia sic promittentes contrahunt; tenetur enim sic promittens vi talis promissionis unam ex tribus eligere, & vicissim electa in Matrimonium cum ipso ineundum consentire: quo facto, Sponsalia reddentur certa, & publicæ honestatis impedimentum inducent. Sanch. D. 26. cit. num. 6. Bosco de Matr. D. 11. n. 249. Wiest. hic n. 91. Wex. Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 1. §. 2. n. 12. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 3. n. 23.

36 Dub. 1. an ejusmodi promissio evadat certa, & verè Sponsalitia, si cum una trium Sororum superveniat copula carnalis? Certum est talem evasisse ante irritationem Matrimonij clandestini à Trid. factam: imò tunc præsumebantur non tantum contracta Sponsalia de futuro, sed initum ipsum Matrimonium; quia eo tempore copula ex maritali potius, quam fornicario affectu profecta præsumebatur. c. is qui fidem 30. hic.

Difficultas est, hodierno tempore post Tridentinum, & postquam hujusmodi Matrimonia præsumpta sublata sunt. Negativam defendunt Sanch. l. 1. de Matr. D. 26. n. 12. Barbof. in c. ex litteris 10. n. 7. in fin. & alij ab his cit. Rationem dant, quòd post memoratum Concilium affectus fornicarius ab ejusmodi copula excludi nequeat.

37 Sed melius dicitur per ejusmodi copulam Sponsalia antè incerta fieri certa, & vera Sponsalia. Ita Sylv. V. Matrimonium 2. n. 11. Coninck D. 21. dub. 2. n. 16. Rebell. de oblig. Just. l. 4. q. 4. n. 6. Perez D. 4. f. 5. n. 18. Wiest. hic n. 24. Ratio est; quia talis puella non aliter, quam sub spe suæ electionis ita determinandæ usum corporis concessisse, & deflorans exegisse censetur.

Neque obstat Argumentum sententiæ contrariæ; quia etsi nunc post Tridentinum affectus fornicarius ab ejusmodi copula excludi nequeat, tamen meritò præsumitur cum eo fuisse conjunctus animus unam eligendi, & cognitam cæteris præferendi. Ratio hujus præsumptionis est; quia unam ex tribus, ut n. 35. dixi, necessariò debet eligere, nullam autem amplius eligere potest ex duabus reliquis; quia cum his per copulam cum deflorata habitam contraxit affinitatem, conf. ad eas ducendas factus inhabilis est, ergo &c.

38 Dub. 2. an casu, quo Titius promissit se ex tribus Sororibus ducturum illam, quam earum pater ipsi daturus esset, & pater vicissim, filiabus consentientibus, spondit se unam ex illis daturum, si deinde

R. P. Schmalzgrueber. L. IV.

Titius unam ex illis carnaliter cognoscat, teneatur pater aliquam ex ipsis eidem tradere? R. hoc casu Patrem non obligari ad ullam ex ipsis dandam Titio. Ita Sanch. l. 1. de Matr. D. 26. n. 4. Perez D. 5. f. 4. n. 8. Bonacin. de Sacram. q. 1. p. 3. n. 5. König hic n. 15. Wiest. n. 25. Ratio est; quia si teneretur aliquam dare, teneretur vel dare cognitam, vel unam ex reliquis; non teneretur dare unam ex reliquis; quia cum his per copulam cum Sorore contraxit impedimentum affinitatis: non cognitam; quia ipater vi promissionis suæ poterat eligere, nec delictum Titij potuit ipsum hac facultate privare, ne delinquens ex delicto suo referat commodum, & pater innocens patiatur damnum. Addidi in responsione, Patrem non obligari ad ullam ex ipsis dandam; nam si Pater velit ei dare cognitam, tenetur Titius illam ducere: quia implere promissionem suam debet eo modo, quo potest; non autem potest aliter implere, quam ducendo cognitam, ergo &c.

Dub. 3. quid dicendum, quando Titius tribus puellis promissit se illam ex ipsis ducturum, quæ certum ei obsequium præstiterit, si hoc præstatur à duabus? R. distinguendo: Vel enim una illarum conditionem implevit prior, vel ambæ simul. Si primum, illa determinata censetur, quæ prius conditionem impleverit juxta triam Juris Regulam: Qui prior est tempore, potior est jure, quæ est 54. in 6. Si secundum, eligere Titius ex duabus, quæ conditionem implerunt, potest, quam vult; quia neutri illarum præ altera in specie, & absolute questum jus est, sed tantum indeterminate, & in omni promissione alternativa electio ad promissorem pertinet. Reg. in alternativis 70. in 6. König hic n. 14.

Quæritur 7. an ut promissio futuri Matrimonij obliget, necessarium sit, ut à promissario, sive eo, cui fit, sit acceptata? R. affirmativè. Colligitur arg. l. hujus editi 1. ff. de pact. & l. consensu 2. ff. de O. & A. juxta quos textus, ut contractu, & simplici etiam pacto obligatio inducatur, exigitur consensus mutuus, & conf. acceptatio promissarij. Matrimonium autem, & Sponsalia habent rationem Contractus. ergo nec promissio futuri Matrimonij obligat, nisi eidem accedat acceptatio promissarij.

Ex quo sequitur, hujusmodi promissionem, antequam illam pars altera acceptet, revocari à promittente posse; quia eo usque est simplex pollicitatio, quæ, antequam acceptetur, obligationem nullam inducit. Estque hoc verum, sive promissio hæc facta sit præsentem Titia, cui facta est sive illa absente, coram amicis, vel consanguineis, nisi isti mandatum acceperint ad Sponsalia nomine Titia contrahenda. Engl. hic §. 2. n. 10. Proceditque, ut laudatus Doctor l. cit. notat, licet promittens mandaverit, ut promissionem

B 2

nem



nem suam absenti Titia insinuent, ejusque consensum desuper requirant; nihilominus enim, antequam Titia promissionem sibi factam acceptet, revocare promittens eandem potest: & ratio est; quia consanguinei in hoc casu non sunt plus, quam Procuratores ad contrahendum cum Titia destinati, Procurator autem in causa matrimonij etiam in absentia revocari potest.

41 Dub. I. an ut promissio futuri Matrimonij Sponsalia inducat, sufficiat, eam à promissario acceptari sine repromissione? Affirmant Paludā. in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. n. 4. Henriq. l. 11. c. 13. n. 2. Vasq. D. 4. c. 3. Pont. l. 12. c. 4. n. 2. & probare hoc etiam videtur ratio; quia Titius promissionem Matrimonij sibi factam à Caja acceptare nequit, nisi Matrimonium cum ea ipse inire velit, igitur acceptans ejusmodi promissionem, etiam acceptat, & approbat Matrimonium futurum, & conf. illud virtualiter repromittit. Conf. à paritate cum Contractu Matrimoniali, in quo acceptatio Juris sibi traditi in corpus ad actus conjugales, necessariò etiam includit traditionem Juris in corpus suum ad ejusmodi actus; quia Matrimonium claudicare non potest, nec una pars obligari ad actus conjugales, quin etiam altera obligetur.

42 Sed verius est, Sponsalia non induci, aut perfici sola acceptatione promissionis Matrimonij, sed necessarium esse, ut ei accedat præterea repromissio. Ita Abb. in c. nome 5. de præsumpt. n. 1. Felin. ibid. n. 19. Navar. Man. c. 22. n. 28. Sot. in 4. dist. 27. q. 2. Menoch. l. 3. præsumpt. 42. n. 2. Gutier. de Matr. c. 5. n. 1. Sanch. l. 1. de Matr. D. 5. n. 12. Perez D. 1. f. 10. n. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 2. Pal. tr. 28. D. 1. p. 3. n. 3. Engl. hic §. 2. n. 3. §. 8. König n. 44. Wiest. n. 46. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 3. n. 115. §. seqq. Ratio est; quia promissio Matrimonij cum aliquo incundi potest esse gratuita, & non repugnat, ut aliquis se obliget ad incundum cum alio Matrimonium, quin ad hoc obligetur promissarius, ut cum citat, advertit Schamb. hic n. 4. & probari potest à pari; nam ita obligare se aliquis potest ad equum suum vendendum alteri, vel cum ejus equo permutandum, quin vicissim iste ad eum emendum, aut permutationem admittendam sit obligatus. *Subsumo*; atqui promissio Sponsalitia nequit esse merè gratuita, & unam solum partem ligare, ut patet ex definitione Sponsalium n. 9. tradita, vi cujus Sponsalia sunt mentio, seu repromissio futurarum Nuptiarum: proinde non sufficit, ut una pars acceptet promissionem alterius, sed insuper requiritur, ut altera repromittat, sive se vicissim ad Matrimonium suo tempore contrahendum obliget, ergo &c.

43 Ex quo sequitur casu, quo Titius Berthæ promittit Matrimonium animo se ob-

ligandi hac sua promissione, si Bertha eam promissionem acceptet quidem, sed non vicissim Matrimonium eidem repromittat, hac promissione, & acceptatione obligationem Sponsalitam nullam contrahi, ut rectè Navar. Man. c. 22. n. 25. Henriq. l. 11. c. 13. n. 2. Molin. tr. 2. D. 263. n. 11. Sanch. l. 1. de Matr. D. 5. n. 4. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 2. Engl. hic §. 2. n. 2. Pirh. n. 3. Schamb. n. 4. Wiest. n. 26. Ratio est; quia si obligatio Sponsalium induceretur, induceretur illa vel ex parte Titij, vel ex parte Berthæ: non ex parte Berthæ; quia hæc non voluit se obligare Titio, acceptando promissionem illius, sed hunc tantum obligatum sibi habere; actus autem agentium non operantur ultra intentionem illorum l. non omnis 19. pr. ff. de reb. credit. Non etiam ex parte Titij; quia hic non censetur aliam voluisse obligationem subire, quam contractus Sponsalitiij, & sub conditione, si etiam Bertha repromiserit Matrimonium, igitur cum Bertha vicissim non repromiserit, & se Titio obligarit, ex Titij promissione, utpote conditione non impleta, obligatio non confurgit.

Ex quo iterum deducitur, in casu dato Titium, usque dum Bertha repromittat, posse revocare suam promissionem, non obstante, quòd istam illa acceptaverit; quia adhuc est imperfecta promissio, utpote cum pendeat adhuc conditio, sub qua facta est. Excipitur, si Titius Berthæ tempus ad deliberandum dederit; tunc enim expectare debet ejusdem lapsum, nec revocare antea promissionem potest. Similiter revocare promissionem non potest, si hæc sit merè gratuita, & sine animo petendi, ut pars altera repromittat; nam per ejusmodi promissionem contrahitur ex parte promittentis obligatio absoluta, non quidem Sponsalitia (nam ista, ut dictum est, ex essentia sua est mutua) sed ad modum promissionis acceptatæ simplicis. Dixi ex parte promittentis; nam ex parte promissarii nulla oritur obligatio; & hinc iste etiam post acceptatam eam promissionem ad Matrimonium cum promittente contrahendum compelli nequit; quia tantum habuit promittentem sibi obligatum, ipse verò ex defectu repromissionis obligatus non fuit. Et hinc ex tali promissione etiam non nascitur impedimentum publicæ honestatis, sed Titius Berthæ, cui promissionem hujusmodi fecit, mortuâ contrahere Matrimonium cum sorore ipsius potest. Engl. hic §. 2. n. 3. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 1. §. 2. n. 9. fin.

Ad Argumentum n. 41. à parte adversa allatum patet ex dictis, meram acceptationem promissionis factæ non habere vim virtualis repromissionis; quia potest Bertha promissionem Matrimonij sibi à Titio factam acceptare, nec tamen vicissim se obligare Titio. Ad Conf. negatur paritas inter con-



contractum Matrimonij, & promissionem illius; nam in contractu Matrimoniali, cum ille ex natura sua sit mutuus, traditio, & acceptatio Juris in corpus ad actus conjugales aliter dari non potest, nisi conjuncta sit vicissim cum traditione Juris in corpus suum, cum sine hac traditio Juris in corpus facta ab una tantummodo parte fornicaria sit. Non ita se habet promissio Matrimonij ineundi merè gratuita, & simplex; nam hæc, ut ostensum hæcenus est, dari, & acceptari potest, quin vicissim acceptans Matrimonium repromittat.

45 Dub. 2. an nullo casu acceptatio vim repromissionis habeat? R. id posse, & debere colligi ex circumstantijs; nam si in talibus circumstantijs detur promissio ab alio factæ acceptatio, ut inde præsumi possit animus repromittendi, talis acceptatio pro repromissione habebitur, & præsumetur contracta obligatio Sponsalitia. Et talis facta est, quando in præsentia amicorum, vel aliorum actum fuit de Sponsalibus hic, & nunc contrahendis; nam eo casu postquam una pars intentionem contrahendi Sponsalia sufficienter declaravit, & promissit Matrimonium, altera pars acceptando promissionem censetur Matrimonium virtualiter repromississe. Engl. hic §. 2. num. 8. Ratio est, quia promissio non censetur aliter acceptari, quam quatenus facta est. sed præcisè facta est cum intentione hic & nunc contrahendi Sponsalia. ergo hoc, & non alio modo censetur acceptata.

46 Dub. 3. utrum acceptatio ad inducendam obligationem ex parte promittentis requiratur etiam, quando promissio Matrimonij est merè gratuita? Certum est requiri, quando fit præsentis. Quando absentis fit, dubium moveri potest: & ratio dubitandi sumitur ex c. *veniens 5. qui Cleric. vel voc.* ubi Matrimonij promissio absentis facta pro valida habetur sine ulla mentione acceptationis. Sed dicendum, ante acceptationem promissionis in casu proposito obligationem non induci. Ita Gloss. in c. *veniens cit. V. promissit.* Host. *ibid. pr.* Joan. Andr. n. 8. Abb. n. 7. & in c. 2. de *despons. impub. n. 2.* Alex. de Nevo in c. 2. cit. n. 3. Molin. tr. 2. de J. & J. D. 263. n. 11. Sanch. l. 1. de Matr. D. 6. n. 24. & alij passim. Ratio est; quia in materia Matrimonij, & alijs Ecclesiasticis, ubi Leges non sunt SS. Canonibus contrariæ, judicandum est secundum Leges c. *intelleximus 1. de nov. oper. nunt.* atqui SS. Canones in re ista non divertunt à Legibus, sed utroque Jure ad inducendam obligationem ex promissione acceptatio desideratur c. *Antigonus 1.* & c. *qualiter 3. de pact.* igitur promissio Matrimonij etiam gratuita ante acceptationem non obligabit, sed revocabilis erit. Ad Rationem dubitandi, ut rectè notant Gloss. Host. Joan. Andr. in casu c. cit. contractui nomine absentis in-

tervenit Procurator cum mandato speciali: quo casu consensus novus non requiritur, sed antiquus sufficit, modò interea revocatus non sit.

Quæritur 8. an promissio Sponsalitia 47 possit esse merè interna? R. negativè; sed debet signis externis exprimi. Ita communis cum S. Thoma 2. 2. q. 88. art. 1. Ratio est; quia dirigenda est ad alterum, à quo ipsa intelligi, acceptarique, & repromissio fieri debet. hoc autem fieri non potest nisi exprimat signum aliquo externo internus mentis consensus. ergo &c. Potest autem hoc fieri per verba non solum formalia, sed etiam virtualia, & quæcumque alia signa externa, quæ consensum in Matrimonium contrahendum sufficienter manifestant, ut clare sumitur ex c. *cum apud 23.* & c. *tua 23. b. tit.* Et procedit hoc etiam in ijs, qui loqui possunt; nam & hi, si alijs signis consensum suum declarent, validè contrahunt, Pirh. hic n. 11. Schamb. *ibid. n. 14.* Ratio est; quia substantia Matrimonialis, & Sponsalitiæ Contractus consistit unice in consensu contrahentium, qui etiam sine verbis formalibus haberi potest.

Neque opus est consensum externum 48 poni ab ipso contrahente, sed hoc fieri potest etiam per internuntium, vel Procuratorem c. *fm. de Procurator. in 6.* quia Contractus Matrimonialis à Christo solum elevatus est ad rationem Sacramenti, de cætero non recedit à ratione Contractus Civilis, qualis antea contrahebatur à Sponsis. atqui antea de Jure Civili tam Matrimonium, quam Sponsalia contrahi poterunt per internuntium, & procuratorem &c. l. *fm. ff. b. tit.* ergo &c. Parum autem interest, quis continuatur hoc casu Procurator, mas, an foemina; nam etiam si Sponsalia à principalibus personis contrahenda desiderent virum, & faminam, si tamen contrahantur à Procuratore, is potest esse famina, vel masculus: quin & duæ faminae, vel duo masculi ex parte utriusque principalis intervenire possunt, Petr. de Ledesm. de *Matrim. q. 42. art. 1. dub. 7.* Sanch. l. 2. de *Matr. D. 11. n. 15.* Boff. de *Matr. c. 3. §. 55. n. 277.* Magnif. P. Schmier. de *Sponsal. p. 1. c. 2. n. 82.* nec enim ex parte Procuratoris requiritur, ut ille sit capax juris, per suum ministerium acquirendi, sed tantum desideratur, ut ipse principalis, cujus ministrum agit, capacitatem illam habeat.

Dub. 7. qualia debeant esse verba, ut 49 his expressus censetur consensus Sponsalitiæ? R. debent esse talia, quæ significant ipsam promissionem Matrimonij contrahendi. Unde promissio de Sponsalibus contrahendis, quamvis obliget ad Sponsalia contrahenda, & videatur esse promissio Matrimonij, saltem mediatè, nomen tamen Sponsalium non meretur, & ideo nec publicam honestatem, aliòsque effectus Spon-



salium proprios parit, sicut promissio venditionis non est venditio, neque titulum in alium transfert, Tusch. lit. s. concl. 402. n. 2. Covar. l. 4. p. 1. c. 4. pr. König bic n. 24.

50 Ad dignoscendum, an verba, & alia signa posita promissionem. Sponsalitiâ significent, ex communi DD. sequentes ponuntur Regulæ. 1. intelligenda sunt secundum modum loquendi in Provincia tali receptum c. ex litteris 7. h. tit. l. semper 34. ff. de R. J. Covar. l. 3. var. c. 5. n. 1. Barbof. in c. ex litteris cit. n. 7. Pirh. bic n. 84. § 85. not. 3. Schambog. ibid. n. 16. Wiest. n. 47. 2. verba posterius promittentis, si significationem aliâs dubiam habeant, intelligenda sunt secundum verba promittentis prius, si hæc sint clara, Ledesm. de Matr. q. 45. art. 1. dub. 1. 3. si utrinque verba sint dubia, ex circumstantiis autem constet, quâ mente ea loquens protulerit, secundum hanc intelligi debent can. humane 11. caus. 22. q. 4. 4. imò verba, & signa, qualiacunque sint, per se non obligant, nisi, qui ijs sunt usi, revera consenserint in Sponsalia, quia hæc non verborum sonitus, sed consensus facit. Et hinc 5. quibuscunque signis, aut verbis quis usus sit, si tamen Judici probare possit, quòd alio, quàm Sponsalia contrahendi animo usus iisdem sit, in foro etiam externo non tenebitur, ut cum Sanch. Less. Gob. Pirh. rectè advertit P. Wiest. bic n. 49.

51 Porro verborum formulæ diversæ à DD. afferuntur, quibus significari sponsalia de futuro possunt. Ex his aliquæ sunt certæ, quæ omnium iudicio contractum Sponsalitiû indicant, ut *Contraham tecum Matrimonium ducam te in conjugem, accipiam te in meam* &c. Aliæ verò sunt dubiæ, ut si quis Berthæ reprimittenti dicat, *Accipio te in crastinum*. Rationem dubitandi facit verbum præsentis temporis *accipio*, ob quod Zoësius existimat non esse Sponsalia de futuro sed Matrimonium conditionatè initum, quod adveniente die crastina, tanquam impleta conditione, sine novo consensu fiat absolutum. Sed dicendum, in dubio censerentur tantum inita Sponsalia de futuro; quia licet *accipio* sit verbum præsentis temporis, per clausulam tamen *in crastinum* impeditur de præsentis effectus, & tantum ea proferens videtur se obligare ad Matrimonium contrahendum cras. Schamb. bic n. 20.

52 Dub. 2. an Matrimoniale, an verò Sponsalitiû duntaxat contractum importent verba *Volo te habere in uxorem*? Hodie quando post Trid. sess. 24. c. 1. de reform. nullum Matrimonium contrahi potest sine Parocho, & testibus, atque ex generali Ecclesiæ ritu contrahentes conveniunt in ipsa Ecclesia, ut non Sponsalia de futuro, sed Matrimonium per verba categorica, interrogante Parocho, contrahant, vix

amplius controversiæ hujus videtur esse utilitas.

Controversia est de Jure antiquo, Refert Zoësius, quòd aliqui velint sub hac forma contineri Matrimonium. Rationem dant 1. propter verbum executionis, scilicet *Volo te in uxorem*, cui additus infinitivus *Habere* ponit perfectionem actûs. 2. Is, qui dicit, *Volo te in uxorem habere*, tacitè dicit, *Non volo tecum inire Sponsalia*, ergo ita dicendo init Matrimonium. 3. c. ex parte 9. h. tit. dicitur per eam formulam initum esse Matrimonium.

Sed plerique in hoc conveniunt, 53 quòd decisio sit principaliter desumenda ex circumstantiis, & mente contrahentium, an scilicet voluerint contrahere Sponsalia, vel Matrimonium, juxta Regulas n. 50. datas.

Neque contrarium probant Argumenta opposita. Ad 1. qui dicit se velle emere, aut velle vendere, non potest censerentur eam rem jam emisse, aut vendidisse, cum promissio contractûs distet ab ipso contractu. Directè respondeo, esse infinitivus verbo executionis additus ponat perfectionem actûs, non tamen idcirco significatur præsens executio, sed potius futura, nisi aliud colligatur ex circumstantiis. Ad 2. Negatur Ant. quia dicit, *Ineo tecum Sponsalia, vi quorum te habebis postea uxorem*. Ad 3. in casu c. cit. proferentes ea verba addebant, *Ab hoc tempore te pro conjuge tenebo*, quæ verba addita faciunt futurum *Tenebo* referri ad præsens.

Dub. 3. an Sponsalia ineanantur per 54 verba, *Nullam ducam præter, vel nisi te*, aut alia his æquivalentia. Affirmant Ant. de Butrio in c. ex parte 9. h. tit. n. 10. Abb. ibid. n. 8. Rosell. V. Matrimonium 3. n. 4. Sylv. V. Matrimonium 2. q. 10. di. 4. Menoch. l. 3. præsumpt. 3. n. 8. & alij plures apud Sanch. l. 1. de Matr. D. 19. n. 3. Fundantur 1. quia dictio *Nisi* (eandem vim, ac sententiam Barbof. Usufr. di. 279. n. 4. tribuit particulæ *præter*) ex sua natura semper contradicit præcedentibus, & propterea sicut, quando oratio affirmativa præcedit, ut cum dico, *Omnes currunt, nisi Petrus*, ipsa negat, ita quando præcedit Oratio negativa, ut cum dico, *Nemo currit, nisi Petrus*, ipsa affirmat juxta l. actione 4. C. de transact. & ibi Interpp. cum ergo in propositione, *Nullam ducam nisi, vel præter te* dictiones *Nisi, & Præter* præcedat oratio negativa, ipsæ affirmabunt, & cons. inducent obligationem Sponsalitiâ. 2. Quando Judæi inclamârunt Pilato, *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*, sensus hic erat, *Cæsar est noster Rex, & non alius*. ergo quando Sempronius Berthæ dicit, *Non ducam aliam, nisi te*, sensus erit, *Te ducam, & non aliam*. 3. Si quis dicat, *Te ducam, non aliam*; vel non aliam,



aliam, sed te ducam, censetur contrahere vera Sponsalia, ut cum communi docent Sanch. D. 19. cit. n. 2. & Rosignol. de Sponsal. pren. 5. §. 17. n. 2. ergo etiam si quis pronuntiet formulam in quaestione allatam. 4. Qui dicit, Nullam duco, quam te, vel nisi te, censetur contrahere Sponsalia de praesenti. ergo qui dicit, Nullam ducam praeter, vel nisi te, censetur contrahere Sponsalia de futuro. 5. Ista formula est saltem dubia. atqui in dubio, sicut pro Matrimonio, ita & pro Sponsalibus pronuntiandum est, ergo &c.

Verum his non obstantibus, probabilius est non contrahi obligationem Sponsalitiæ absolutam. Ita Alex. de Nevo in c. 9. h. tit. n. 31. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 4. §. 1. n. 8. Henric. l. 11. c. 12. n. 7. Gurier. l. 1. qq. can. c. 21. n. 13. §. seq. Barth. de Ledelm. de Matr. dub. 9. Sanch. D. 19. cit. n. 5. Laym. l. 5. ir. 10. p. 1. c. 1. n. 2. coroll. 2. Rosign. §. 17. cit. n. 3. §. seq. Zes. hic n. 12. Engl. §. 2. n. 11. Schamb. n. 19. Wiest. n. 35. Reiffenstuel. n. 33. Magnif. P. Schmier p. 1. de sponsal. c. 3. n. 5. Ratio est; quia formula quaestio- nis est negativa, sicque promissionem futuri Matrimonij non tam refert, quam excludit. Et licet per adjectas particulas praeter, & nisi, tanquam exceptivas, limitetur antecedens negatio, attamen limitatio ista non est absoluta, sed resolvitur in conditionem, idemque significat, ac Non ducam uxorem, vel si aliquam duxero, te ducam. Idque de particula exceptiva Nisi deducitur ex l. quibus 40. §. quidam 2. ff. de condit. §. demonstr. ubi probatur responsum Labeonis, existimantis, in utroque casu Legatum sub conditione relictum esse, sive testator dixerit, Heres meus pecuniam, si mater mea morietur, dato; sive scripserit, Nisi mater mea morietur. Conf. quia in dubio, quando Jure aliquid dispositum non est, non facile inducenda est obligatio arg. l. Arianus 47. ff. de O. §. A. praesertim ad contrahenda Matrimonia, quae, cum coacta sunt, frequenter difficiles exitus habere solent c. requisivit 17. in fin. h. tit.

56 Addidi, Non contrahi obligationem Sponsalitiæ absolutam; nam conditionata illis verbis contrahitur, scilicet ducendi hanc, si aliquam ducere velit, vel disjunctivè hanc, vel nullam ducendi. Quodsi tamen formula saepius memorata sic efferretur, Ducam uxorem, & nullam aliam, nisi te, per ea verba censerentur contracta Sponsalia pura, ita, ut ea proferens se censeatur obligare ad hanc ducendam, ut notat Zes. hic n. 1. & ratio est; quia per verba illa, Ducam uxorem, sublata est disjunctio hanc, vel nullam ducendi. Imò si ex conjecturis, & circumstantijs deprehendi possit, quòd Titius e. g. dum

Berthæ dixit, Nullam aliam ducam, nisi te, voluerit actu contrahere Sponsalia de futuro, censentur contracta absolute, non obstante ambiguitate formulæ, quippe cujus incertitudo per circumstantias tali casu sufficienter determinatur. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 4. n. 3. Sanch. l. 1. de matr. D. 19. n. 7. Rosignol. l. cit. n. 3. Engl. n. 11. cit. in fin. König n. 40. v. mihi videtur, Magnif. P. Schmier c. 3. cit. n. 19. quia juxta dictum S. Gregorij relatum c. secundo 41. de Appell. non intentio verbis, sed verba intentioni accommodari debent.

Neque aliud evincitur ex Argu- 57 mentis sententiæ oppositæ. Ad 1. dictio Nisi interdum, praesertim ad futurum tempus relata, conditionalis est, ut clarè patet tum ex l. quibus cit. tum arg. l. si sterilis 21. §. sed etsi 5. ff. de act. empt. quæ dicitur, si quis alteri fundum ita vendat, ex vendito actionem tum demum dari, si alteri vendiderit; & ex l. Titia 59. §. fin. ff. de manumiss. testam. ibi Onesiphore, nisi, h. e. si diligenter rationes reddideris, liber ne esto? Ad 2. Negatur Conf. Disparitas est, quia propositio Non habemus Regem, nisi Caesarem, est concepta de praesenti; propositio autem, Non ducam aliam, nisi te, est concepta de futuro. atqui, ut optimè cum alijs notat Magnif. P. Schmier c. 3. cit. n. 15. §. 16. particula exceptiva Nisi, vel Quam, quando apponitur promissioni de praesenti, continet affirmationem absolutam; si verò concepta est de futuro, parit affirmationem conditionatam tantum. Ad 3. iterum negatur Conf. Ratio discriminis est; quia Te ducam, vel sed te est affirmativa continens promissionem futuri Matrimonij cum certa persona; nec illa destruitur per annexam negationem, Non aliam, utpote quæ cadit super objectum diversum, nec vim conditionis, sed majoris explicationis habet. At propositio Non ducam aliam, nisi te, est negativa, & annexa particula exceptiva Nisi, cum vim conditionis habeat, non limitat negativam aliter, quam conditionatè, ut nempe eam pronuntians obligetur eam personam ducere, si ducere uxorem velit. Ad 4. patet ex haecenus dictis; discrimen enim inter utramque illam propositionem est, quòd ea, quæ in Ant. est posita, sit concepta de praesenti, & pariat affirmationem absolutam, ea verò, quæ in Conf. concepta sit de futuro, & contineat affirmationem conditionatam. Ad 5. in dubio de valore Sponsalium potius standum pro libertate est, ut declaravi supra n. 6.

Dub. 4. an sufficiens Sponsalium signum sit taciturnitas Sponsi, vel Sponsæ ad oblatas sibi nuptias? R. hic distinguendi sunt tres casus. 1. Quando Berthæ e. g. ad Matrimonij promissionem sibi



sibi à Titio factam tacet. 2. Quando tacet ad Sponsalia nomine ipsius contracta à parentibus. 3. Quando nomine ipsius Sponsalia contrahunt cognati ejusdem, fratres, aut tutores, & illa præfens non contradicit.

Ad 1. convenit inter DD. tenendam esse negativam; quia in ijs, quæ præjudicium afferre possunt, taciturnitas pro signo consensûs non habetur, nisi quando tacens, si dissentiat, loqui tenetur, ut *arg. l. filiusfamilias 8. §. invitus 1. ff. de Procurator. advertunt Dyn. in Reg. qui tacet 43. in 6. n. 3. Covar. præf. c. 15. n. 5. & deinde, Petr. Barbof. in l. que dotis 33. n. 153 § 164. ff. solut. Matr. August. Barbof. Usufr. axiom. 217. n. 3. Engl. hic §. 2. n. 8. König ibid. n. 44. §. sed negativam, Wiest. n. 39.*

59 Ad 2. triplex sententia DD. est. Nam 1. aliquid apud Gutier. *de Matr. c. 13. n. 1.* generaliter negant sufficere solam taciturnitatem, nisi alia signa interni consensûs in filiis accedant; tum quia tacens non censetur consentire, cum de obligatione suæ personæ, & gravi præjudicio agitur, secundum dicta *n. præc.* tum quia essentia Sponsalium consistit in vero, & naturali consensu ipsorum contrahentium *l. sufficit 5. & l. Sponsalia 11. ff. b. tit.* consensus autem ex taciturnitate non est verus, & naturalis, sed præsumptus tantum præsumptione Juris *c. un. §. fin. de despons. impub. in 6.*

2. Alij cum Joan. Andr. *in c. un. cit. n. 2. Franc. ibid. n. 4. Gutier. c. 13. cit. n. 11. Sanch. l. 1. de Matr. D. 23. à n. 6. Dian. p. 3. tr. 4. resol. 271. in fin. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 2. n. 53.* distinguendum putant, an Sponsalia nomine filie à parentibus contrahantur, præfente filia, an ea absente, & ignorante. Si primum, concedunt ex taciturnitate ejusdem præfumi consensum in Sponsalia ob decisionem Bonifacij VIII, *c. un. cit.* Si secundum, ultra taciturnitatem alia signa requiri volunt, nisi textu ejusdem *cap.* ubi exigitur, ut postquam filij de parentum contractu notitiam adepti sunt, ipsi hujusmodi contractum tacite, vel expresse ratificaverint. Disparitatis rationem dant istam; quia dum filius præfens est, & intelligit, quid nomine suo à parentibus agatur, magis præsumitur reclamaturus, si interne non consentiret, quam dum est absens, ubi ordinariè non ita aperte advertit suum versari præjudicium, & facile credit, se adhuc reclamare posse, ubi ad Sponsam, vel amicos ejusdem pervenerit.

3. Communior sententia cum S. Thom. *in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. ad 1. Paludan. ibid. q. 1. art. 1. concl. 1. n. 4. Sot. ad eandem dist. q. 2. art. 2. ad 1. Ancharan. in c. un. cit. §. fin. n. 3. Henriq. l. 11. de Matrim. c. 13. n. 5. Petr. à Ledesma. de*

*Matrim. q. 43. art. 2. dub. ult. concl. 2. Rodriq. tom. 1. summi. edit. 2. c. 234. n. 4. Conink D. 21. dub. 3. n. 38. Pal. tr. 28. D. 1. p. 4. n. 14. Perez D. 4. sect. 6. n. 15. Pirh. tit. de Matrim. contract. contr. interd. Eccl. n. 5. not. 5. König hic n. 19. § 20. Wiest. ibid. n. 41. docet, utroque casu, sive filio, aut filia præfente, sive illa absente, ejus nomine parentes ipsius Sponsalia contrahant, ex sola taciturnitate præfumi consensum. Ratio est; quia in utroque casu filia, si non consentiat desponsationi sui, ne parentum dicta, aut acta contemnere videatur, ubi intelligit factum, mentem suam explicare tenetur. igitur quando tacet, & factum sibi displicere non exprimit, præsumitur consentire juxta Reg. qui tacet 43. in 6.*

Proceditque hoc tam de patre, quam de matre; quia *c. un. cit. §. fin.* non distinguit, neque ratio æqualitatis distinguere finit, eod quod affectus teneretur perinde, vel magis in matre, quam in patre reperitur. Sanch. *D. 23. cit. n. 9. Pal. tr. 28. D. 1. p. 4. n. 12. Engl. tit. de despons. impub. §. 2. n. 4. Passerin. in c. un. §. fin. cit. n. 24. Magnif. P. Schmier. c. 2. cit. n. 39.* Neque refert, an liberi illegitimi, an legitimi sint, sui, an emancipati; quia in *c. cit.* non fit discrimen, potiorque videtur hic esse consideratio naturalis, quam civilis, atqui ratio naturalis non minus pro illegitimis, & emancipatis pugnat, cum etiam in hos parentum amor præsumatur ingens. Sanch. *l. cit. n. 10. § 11. Gutier. de Matr. c. 13. n. 7. § 8. Engl. n. 4. cit. Magnif. P. Schmier n. 40.*

Dixi præfumi consensum; nam si liberi revera non consentiant, non inducetur obligatio Sponsalitia; quia Sponsalia requirunt consensum non qualemcumque, sed verum, & naturalem, qualis non est consensus præsumptus tantum, cum revera præsumptus consensus conjugij possit cum actuali dissensu interno, quem non audeant liberi explicare, absterriti metu reverentiali. Item potest contingere, ut liberi quidem consentiant acceptando promissionem sibi factam, sed absque repromissione; nam juxta Reg. 44. *in 6. is, qui tacet, non fatetur, sed nec urique negare videtur.* Quod si fiat, in foro interno, in quo creditur dicenti tam contra quam pro se, præsumptio hæc nullum habebit locum: imò nec in foro externo si puella dissensum probaverit, quod fieri per conjecturas, & præsumptiones alias, aut in earum defectum per juramentum poterit, Magnif. P. Schmier *n. 51.*

Argumenta primæ sententiæ *n. 59. 64* allata non multum urgent. Ad 1. cisi agatur de obligatione liberorum, tamen ex intentione parentum non tam de præjudicio, quam de utilitate tacentis agitur, si-

qui-



quidem paternus amor nihil in illis finistri suspicari permittit. *Ad 2.* etsi concedendum omnino sit non fore Sponsalia, si liberi, quorum nomine contrahuntur, revera non consensissent, ut patet ex *n. præc.* in foro tamen externo absolute iudicabitur, & præsumetur adfuisse consensum, adeoque Sponsalia reipsa, & valide fuisse contracta, donec præsumptio hæc per contrarium probationem, aut præsumptionem fortiozem elidatur.

*Ad 3.* dubij *n. 58.* propositi membrum certum est, si fratres, cognati, Tutores &c. ad Sponsalia contrahenda instructi sint speciali mandato, ex taciturnitate præsumi consensum; cum enim Matrimonium per Procuratorem contrahi possit, contrahi etiam Sponsalia poterunt nomine puellæ præsentis, & tacentis. *Conf.* praxi Indiarum, & præsertim Americæ, in quarum pluribus Provincijs in Matrimoniali contractu verba consensum significantia proferuntur non ab ipsis contrahentibus, sed eorum nomine à loci Præfecto.

*66* Controversia est de casu, quo cognati, tutores &c. non habent speciale mandatum. *Gloss.* in *c. un. V. Sponsalia de despons. impuber.* *Hofst.* in *c. littere 1. de Matr. contract. contr. inter dict. Eccl.* Ancharan. *ibi n. 2.* *Rodriq. tom. 1. Summ. edit. 2. c. 234. n. 4.* *Pont. l. 2. c. 14. n. 17.* & alij, præsertim antiquiores, putant etiam hoc casu taciturnitate puellæ induci Sponsalia: quod quidam extendunt etiam ad extraneos, cum moderamine tamen, & distinguendo inter forum externum, & internum; nam ut in foro externo censentur contracta Sponsalia, putant satis esse, quicumque respondeat, in foro interno autem minime, nisi tutores, aut cognati sint, ut videre est apud *Sanch. l. 1. D. 23. n. 6.* *Nituntur 1. textu c. littere cit.* ubi referuntur Sponsalia, à fratre contracta pro sorore tacente, & consentiente. *2. c. ex parte 14. de restit. spoliat.* dicuntur contracta nomine neptis à patruo. *3.* si à parentibus contracta sint Sponsalia, taciturnitas pro consensu habetur, quia parentes liberos suos naturaliter valde diligunt, & propterea optime ipsis consulere præsumuntur, idem autem præsumi potest de fratribus, cognatis, tutoribus &c.

Sed melius negativam defendunt *67* *Paludan. 4. dist. 27. q. 1. art. 1. concl. 1. n. 4. & q. 2. art. 3. concl. 4. n. 19. § 20.* *Covar. de sponsal. p. 1. c. 4. pr. n. 4.* *Gutierrez. c. 13. de Matr. n. 2.* *Sanch. D. 23. cit. n. 7.* *Pal. tr. 28. D. 1. p. 4. n. 17.* *Barb. in c. littere cit. n. 3.* *Engl. tit. de despons. impub. §. 2. n. 21.* *Pih. tit. de Matr. contract. contr. interd. Eccl. n. 5. not. 5.* *Schamb. hic n. 14.* *König. ibid. n. 21.* *Wiest. n. 43.* *Magnif. P. Schmier. de Sponsal. p. 1. c. 2. n. 75.* *Ratio est;* quia *R. P. S. bmalzgruber L. IV.*

contractus Matrimonij, & Sponsalium de Jure naturali, & Divino ita personalis est, ut nemo, etiam pater, eo Jure præstare consensum possit pro filio, nisi speciale ab eo mandatum habeat. igitur dum parentum consensus, junctus cum taciturnitate filij, Sponsalia præsumpta facit, id habetur ex dispositione, & præsumptione Juris positivi tantum per *c. un. cit.* quæ cum sit restrictiva Juris naturalis, ultra casum in Jure expressum extendi non debet. extendere autem, si procederet etiam in fratribus, cognatis, tutoribus; quia *c. cit.* solorum parentum meminit. ergo &c.

*Ex quo sequitur,* licet fortasse pupillus, aut soror reipsa complacentiam, & internum consensum sponsalia contrahendi, seque obligandi habeat, dum tutor, vel frater ejus nomine contrahit, inde tamen Sponsalitiæ obligationem neque pro foro interno, & conscientie ullam exurgere, ut bene advertit. *König. hic n. 21. fin.* *Ratio est;* quia ut *n. præc.* ostensum est, ex Juris dispositione verba solorum parentum, non verò tutoris, vel alterius quomodocunque conjuncti consensum internum in Sponsalitiæ obligationem significant. igitur etsi pupillus, vel soror ad promissionem tutoris, vel fratris tacuerit, non tamen censetur hoc ipso promississe Matrimonium; vel si illud interne promissit, hæc tamen promissio, quia signo idoneo ab ipso promittente expressa non est, & ideo ab altera parte acceptari non potuit, obligatoria nullatenus erit.

Neque vim aliquam habent Argumenta opposita. *Ad 1.* in casu *c. littere cit.* soror præsens non tacuit, sed ut textus habet, consensit, & quidem expressè; nam hoc agebatur, ut mediante fratre tanquam per Procuratorem Sponsalia contraherentur secundum *Gloss. ibid. V. præsentis.* *Ad 2.* ex textu satis colligitur Sponsalia à patruo in casu ejus *can.* vel nulla fuisse contracta, vel si contracta sunt, fuisse invalida. *Ad 3.* ut minor est cognatorum amor, quam parentum, ita etiam minus studium ac cura providendi sororibus & cognatis; cons. etiam non est eadem ratio taciturnitatem pro consensu interpretandi.

*Dub. 5.* an sufficiens Sponsalitiæ promissionis signum sit anuli traditio, & receptio, sive, ut vocari solet, *nubarratio.* *n.* ex se est insufficientis; quia ex alijs etiam amoris inhonesti causis, fieri potest ut rectè observant *Abb. in c. fin. de despons. impub. n. 7.* *Menoch. l. 3. præsumpt. 2. à n. 1.* *Mascard. de probat. concl. 1024. n. 2.* *§ seq. Sanchez. l. 1. de Matr. D. 22. n. 1.* *König. hic n. 40. §. quod attinet.* Unde, ut contracta obligatio



nis Sponsalitiæ indicium præbeat, alia ad-  
minicula debent accedere.

71 Talia sunt 1. si consuetudo loci sit,  
ut anuli traditio significet Sponsalia; cen-  
sebitur enim facta secundum loci consuetu-  
dinem. 2. si verba unius, quibus ani-  
mum Sponsalia contrahendi expressit,  
præcesserint, & post hæc sequatur immis-  
sio anuli, & traditio; quia tacens con-  
sentit facto ipso, dum anulum recipit. 3.  
quando traditio, & receptio anuli facta  
est in ipso tractatu, inter Sponfos, eorū-  
ve parentes, & amicos instituto de Matri-  
monio ineundo. Quare hac in re cir-  
cumstantiæ ejusmodi attendi debent.

72 Porro quod de traditione anuli &  
ejus receptione dictum est, etiam dicen-  
dum de manu porrectione, missione  
jocalium &c. quia talia signa præsumuntur  
exhiberi, & acceptari ea intentione, quæ  
proferuntur, & acceptantur verba in tali  
tractatu, aut discursu arg. l. *semper* 33. ff.  
*de R. J.* Sanch. *D.* 22. cit. à n. 2. Pol. *tr.*  
28. *D.* 1. p. 4. n. 10. Dicaill. *D.* 1. *de Matr.*  
*dub.* 8. n. 147. Pirh. *hic* n. 8. Engl. §. 2. n. 8.  
König n. 40. Wiest. n. 38. Magnif. P.  
Schmier p. 1. *de Sponsal.* c. 3. n. 84. & alij  
apud istos.

73 Queritur 9. an promissio Matri-  
monij ineundi possit esse clandestina? Tri-  
plex est sententia. Prima vult Spon-  
salia clandestina esse invalida. Ita Albornoz.  
*tr. de art. contract.* l. 4. tit. 1. Matienz. *in*  
*Rubr. tit. 1. gloss.* 1. n. 45. pr. §. n. 50. *tr.*  
*fin.* l. 5. nov. *collect. reg.* Segura *D.* *recl.*  
*Jud. Eccl.* p. 2. c. 15. à n. 6. apud Gutier. c. 4.  
*de Matr.* n. 1. Secunda concedit quidem  
ea esse valida, negat autem licitè sic iniri.  
Ita Host. *in c. fin. de clandest.* despons. *V.*  
*contrabenda*, Joan. Andr. *ibid.* n. 4. An-  
char. n. 17. Abb. n. 6. Alex. de Nevo n.  
15. Angel. *V. clandestinum* n. 3. Sylv. *V.*  
*Matrimonium* 6. q. 7. dict. 5. §. 6. Armill.  
*V. Sponsalia* n. 14. Cajet. *in Summ. V. eod.* &  
videtur istud etiam probari posse ex l. *Ora-*  
*tio* 16. ff. *h. tit.* ubi ex mente Modestini  
Jcti prohibitis nuptijs etiam Sponsalia pro-  
hibita censentur, atqui Matrimonium clan-  
destinum prohibitum est, imò Jure novo  
Trid. nullum, ergo &c.

74 Sed hoc non obstante, dicendum,  
Sponsalia clandestinè inita, & valida, & li-  
cita esse. Ita Petr. de Ledesm. *de Matr.* q.  
45. *art.* 5. *circa* 2. *punct.* *dub.* 4. Gutier. c.  
4. *cit.* à n. 1. Sanch. l. 1. *de Matr.* *D.* 12.  
n. 2. §. *D.* 13. n. 2. Rebell. *de oblig. Just.* l.  
4. *sect.* 3. n. 56. Pont. l. 12. c. 5. n. 6. Pe-  
rez. *D.* 5. *sect.* 2. n. 2. Vall. *hic* §. 2. n. 3. *et*  
*alium* Engl. §. 2. n. 6. Pirh. n. 26. Schamb.  
n. 20. Wiest. n. 50. Wex *Ariadn.* p. 5.  
*tr.* 2. p. 1. §. 5. n. 10. Ratio est, quia  
Sponsalia clandestina nullo Jure sunt irri-  
tata, aut prohibita. Interim tamen, ut  
bene advertit Engl. *l. cit.* ad futuram pro-

bationem pro casu; quo fortè alterutra  
pars Sponsalia negare vellet, utique con-  
sultum erit vel testes adhibere, vel scrip-  
turam desuper conficere. Nunquam au-  
tem consultum videtur esse, ut contractui  
Sponsalium de futuro cum ceteris testibus  
adfit Parochus, ob periculum, ne fortè  
Sponsi, omisis Sponsalibus de futuro, &  
denuntiationibus, contrahant Sponsalia de  
præsenti, & ipsum Matrimonium. Wex  
*Ariadn.* l. *cit.* n. 12. tamen monet, circa  
hoc consulenda Statuta Diocesana; nam  
in aliquibus Diocesisibus coram Parocho  
fieri Sponsalia solent.

Neque contrarium probat Argu-  
mentum Adversariorum; quia l. *Oratio cit.*  
ut *ibid.* notat Brunnem. n. 2. solum procedit,  
quando eadem est ratio Sponsalium,  
& Matrimonij, atqui in proposito casu non  
est eadem ratio: quia Matrimonium clan-  
destinum à Trid. prohibitum, & irritatum  
est ob incommoda, quæ secum trahunt;  
hæc autem tam gravia, & tam frequentia  
post se non trahunt Sponsalia de futuro  
clandestina. igitur cum Decretum hoc Syn-  
odale correctorium sit Juris antiqui, à  
Matrimonio ad Sponsalia extendi non de-  
bet, quod etiam declaravit S. Congr. Card.  
*Trid. Interpp.* apud Rebell. *sect.* 3. *cit.* n. 49.  
& Perez *sect.* 3. n. 6.

Dices: juxta Reg. *cum quid* 39. in 6. 7. 6  
*cum quid prohibetur*, prohibentur omnia,  
quæ sequuntur ex illo; & quod prohibitum  
est in termino, etiam prohibitum in via  
censetur. Menoch. *adipisc. remed.* 4. n.  
816. & Mascard. *de probat. concl.* 102. n. 1.  
atqui Sponsalia sunt via ad Matrimonium,  
ergo cum Matrimonium clandestinum pro-  
hibitum sit, etiam Sponsalia de futuro clan-  
destina prohibita censentur. *v.* Spon-  
salia sunt quidem via ad Matrimonium,  
non tamen Sponsalia clandestina sunt via ad  
Matrimonium clandestinum; quia etsi illa  
clandestinè sint celebrata, Matrimonium ta-  
men postea adhuc celebrari in facie Eccle-  
siæ potest.

Dub. 1. quomodo probetur contra-  
ctus Sponsalium de futuro? *re.* probari  
potest non solum per testes, & scripturam  
authenticam desuper confectam; sed etiam  
per Epistolam confessatam; quia hæc con-  
trà scribentem plene probat; ut dictum est  
*Libr. 2. Tit. 22. n. 77.* ergo etiam plene  
probat Sponsalia. *Proceditque hoc*,  
tamen talis Epistola careat die, loco, Con-  
sule, inscriptione, subscriptione. Rot. p. 2.  
*recent. decis.* 772. n. 9. An eundem contra-  
ctum probent etiam Litteræ amatoriaræ, in  
quibus scribens puellam blanda oratione  
Sponsam salutaverit, controversia est. Af-  
firmant nonnulli argumento ducto à simili,  
quod Dominus, si apud acta Servum filium  
nominaverit, eum liberum faciat l. *un.* §.  
*similique* 10. C. *de Latin. libert. tollend.*

Sed



78 Sed etfi tales Litteræ præfumptionem aliquam gignant, si personæ fuerint æqualis conditionis *can. dicat 9. caus. 32. q. 4.* & coadjuvent probationem Sponsalium ac Matrimonij, *Rot. decis. 772. cit. n. 8.* solæ tamen leviores sunt, quam ut in re tam gravi plenam probationem inducant: & sicut si in Litteris ad ancillam datis eam forem quispiam appellaverit, id non efficitur, eam veram sororem ipsius esse *l. non Epistolis 13. C. de Probat.* ita nec fit Sponsa illa, quam procus Sponsam in Epistola sua salutavit.

Neque obstat textus *l. m. §. similique* in contrarium allegatus; quia ibi non dicitur, quòd Servus, quem Dominus filium nuncupavit, hoc modo jus filij accipiat (nam hoc expressè negatur *§. fin. Inst. de adopt.*) sed asseritur duntaxat sic nuncupatum libertatem consequi: quod ob singularem libertatis favorem est constitutum.

## §. II.

## De Effectu Sponsalium.

## SUMMARIUM.

80. Qualis obligatio oriatur ex Sponsalibus validis?  
 81. An gravis?  
 82. 83. An ea oriatur etiam ex promissione Matrimonij gratuita acceptata?  
 84. 85. An fornicatio Sponsi, aut Sponse advesetur Justitiæ?  
 86. 87. Et sit circumstantia necessariò aperienda in Confessione?  
 88. An sit Adulterium?  
 89. 90. 91. Quando Sponsalia implenda sint?  
 92. 93. 94. 95. An ad instantiam unius Sponsorum pars altera ad impletionem compelli pœnis Ecclesiasticis possit?  
 96. Quid sit impedimentum publicæ Honestatis?  
 97. Ratio illius introducti.  
 98. 99. Unde oriatur?  
 100. Quousque se extendat?  
 101. Quil requiratur, ut inducatur per Matrimonium ratum?  
 102. An inducatur etiam per Matrimonium invalidum ratione clandestinitatis?

Dub. 2. an si contingat, ut in solenni Sponsalium contractu interfit etiam Parochus, & partes in illius, & aliorum præsentia bey dem Handstreich utantur verbis de præsentu, dicentes, *Ego te accipio in uxorem, & Ego te in maritum*, cenferi debeat Matrimonium initum? R. negativè; quia præsumi non debet eos voluisse id cum peccato contrahere. Posito, quòd habeant intentionem contrahendi, ea non sufficeret; quia hanc intentionem suam debuissent intimare Parochò, & testibus, aliàs isti testificabuntur solùm de contractu Sponsalium de futuro, ad quem celebrandum sunt convocati. Quodsi autem intimatio sufficiens facta esset, esset Matrimonium, sed illicitè contractum, & contrahentes puniri possent *c. fin. de clandest. despons.* Et hanc ob causam *n. 74.* monui, non esse consultum, ut contractui Sponsalium de futuro interveniat Parochus.

103. Ex quibus Sponsalibus inducatur hoc Impedimentum?  
 104. 105. 106. An etiam ex Sponsalibus fictis, aut ob aliud impedimentum occultum invalidis?  
 107. Utrum nascatur ex Sponsalibus incertis?  
 108. Aut conditionatis?  
 109. 110. 111. An superveniens Sponsalibus priùs initis ea tollat?  
 112. 113. 114. An impedimentum hoc sit perpetuum?  
 115. 116. 117. Quis sit effectus Sponsalium, quando post ea contracta sequitur copula carnalis Sponsi cum Sponsa?  
 118. An hujusmodi præsumpta Matrimonia habeant defacto locum etiam nostris temporibus?  
 119. An Jure antiquo præsumatur etiam Matrimonium, quando copula solùm est attentata?

80 Effectus Sponsalium triplex refertur. Primus est Obligatio inde orta. Alter Justitiæ publicæ honestatis. Tertius, qui locum maximè habet Jure antiquo, & ubi Tridentinum quoad reformationem Matrimonij non est receptum, est ipsum Matrimonium, quod contractum præsumitur casu, quo post Sponsalia de futuro inita sequitur copula carnalis Sponsi cum Sponsa. Quæritur Ii, qualis obligatio nascatur ex Sponsalibus validè initis? R. hæc Jure Civili minis fortis est, quam quæ Jure Canonico inducta est; nam Jure Civili is, R. P. Schmalzgrueber L. IV.

qui Sponsalibus obligatus est, permittitur conditioni renuntiare, & postea contrahere cum alia *l. alij 1. C. h. tit.* Si verò absque renuntiatione prævia Sponsa alij nupserit, aut aliam Sponsus duxerit, notatur infamià *l. quid ergo 13. §. item si 3. ff. de his, qui not. infam.* Canonico Jure, & quo hodie in Sponsalibus, & Matrimonio utimur, ex Sponsalibus validè initis cum una nascitur impedimentum, non quidem dirimens, sed impediens, ne licitè contrahere Matrimonium cum alia possit, qui uni per Sponsalia est obligatus. Procedit-  
 C 2 que



que hoc, sive hujusmodi promissiones sint juramento confirmatae, sive simpliciter factae, ut patet ex *can. desponsatam 27. & can. fin. caus. 27. q. 2.* & clarius habetur *c. praeerea 2. c. si inter 31. b. tit. c. de illis 7. de Despons. impub. & c. duobus 1. de Spons. duor. Alex. Carerius de Sponsa. l. 1. c. 11. Gutier. c. 15. de Matrim. n. 1. Sanch. l. 1. de Matrim. D. 27. n. 1. Wiest. hic n. 53. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 4. n. 1.* Estque obligatio ista non tantum fidelitatis, sed etiam Justitiae, qualem inducit omnis promissio mutua, & onerosa.

81 Dub. 1. an haec Sponsalium obligatio sit gravis? *Gloss. in l. alij cit. Dynus ibid. Abb. in c. requisivit 17. b. tit. num. 6.* existimant, etiam de Jure Canonico obligationem istam non esse gravem, nisi Sponsalia sint jurata, & hoc ideo, ne conjugij ineundi libertas nimium restringatur.

Sed tanquam certum tenendum est, obligationem ex Sponsalibus ortam gravem esse. Ita S. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. ad 2. Palud. ibid. q. 1. art. 2. post 3. concl. n. 14. Angel. V. Sponsalia n. 21. Sylv. ibid. q. 4. dist. 1. § q. 10. dist. 3. Covar. p. 1. de Sponsal. c. 4. pr. n. 2. Sanch. l. 1. de Sponsal. D. 27. n. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 3. Pal. tr. 28. D. 1. p. 7. n. 1. Zoes. hic n. 16. Pirh. n. 15. Schamb. n. 25. Wiest. n. 54. Krimer n. 188. § seq. Magnif. P. Schmier c. 4. cit. n. 3. & sumitur ex *can. desponsatas 46. can. Atbo 47. can. de conjugali 50. caus. 27. q. 2. c. praeerea 2. c. ex literis 10. & c. requisivit 17. b. tit.* Ratio est; quia omnis contractus obligat ex Justitia, & quidem si materia gravis sit, sub peccato mortali. atqui Sponsalia sunt contractus facio, ut facias inducens obligationem mutuam, & reciprocam & materia est gravis, cum magna injuria inferatur alteri, si non impleatur: ergo obligant graviter.

Neque obligatio haec libertati conjugij obest; quia de eo ineundo fidem dans alteri, jam libertate sua est usus, ut proin ad promissionem, spontaneo illius usu factam, adimplendam jure compelli possit.

82 Dub. 2. qualis sit obligatio, gravis, an levis ad matrimonium contrahendum, quando hoc non uterque, sed unus duntaxat e. g. Bertha Titio gratuito promisit, & Titius promissionem sibi factam à Bertha accepit? Pendet resolutio hujus dubij ex ea quaestione, an promissio simplex homini facta, & ab ipso acceptata, obliget sub mortali? In quo triplex sententia est, ut videre est apud Sanch. l. 1. de Matr. D. 5. n. 18. § duob. seqq. Prima dicit solum esse veniale, quando ex promissione non impleta nullum aliud proximo damnum sequitur, quam carere re illa notabili sibi promissa; quia violatio talis promissionis solum opponitur Veracitati, & mendacij malitiam

continet, quod mortale non est, quando perniciosum non est. *Secunda* putat hoc pendere ex arbitrio promittentis; nam si intendat obligare se ex Justitia, ait esse mortale, secus, si ex honestate morali tantum, quod existimant plerumque fieri, quando non constat, quod sibi imposuerit obligationem Justitiae.

*Rationem* dant; quia talis promissio ex sola promittentis liberalitate proficitur, & est lex privata, quam sibi imponit, ut adeo in potestate ipsius sit, illa se obligare ex honestate morali tantum, vel ex Justitia. *Tertia*, & communior, quam etiam cum alijs à se cit. defendit Sanch. l. cit. n. 20, tenet promissionem acceptatam à promissario obligare promittentem ex Justitia, & sub mortali, nisi rei promissa parvitas excuset: quod colligitur ex *c. Antigonis 1. de pact.* ubi observantia etiam pactionis simpliciter acceptae urgetur, proposita in ejus violatorem Excommunicatione, atque poena Excommunicationis, utpote omnium, quas Ecclesia habet, poenarum gravissima, imponi non potest, nisi pro mortali crimine *can. nemo Episcoporum 41. in fin. caus. 11. q. 33.*

Ex quo sequitur responsio ad du- 83  
bium propositum, etiam hoc casu Bertham, Titio id poscente, graviter obligari ad promissionem implendam per contractum Matrimonij. Ita *Sot. in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. concl. 1. Barth. à Ledesim. dub. 8. de Matr. §. annotare, Sanch. D. 5. cit. n. 26. Perez de Matr. D. 6. sect. 5. n. 4. Wiest. hic n. 55.* Ratio est; quia est promissio simplex in materia gravissima. *Ad argumentum primae sententiae* dico, deceptionem hoc casu esse graviter perniciosam; quia negatur, quod ratione promissionis est debitum promissario, in re aliqua gravissima. *Ad Argum. 2. sent.* etsi in potestate promittentis situm sit velle se obligare, & sub culpa mortali, aut veniali, si tamen simpliciter promisit rem notabilem, non ignarus naturam promissionis, censetur velle juxta naturam promissionis se adstringere, & obligare ex Justitia sub mortali, si materia gravis sit.

Dub. 3. an fornicatio Sponsi, aut 84  
Sponsae adverferet Justitiae? Negant Covar. de Sponsal. p. 1. c. 1. n. 13. Henric. l. 11. c. 18. n. 4. Pont. l. 12. de Matr. c. 6. n. 2, existimantes, illam intemperantiae solius peccatum esse, hac unica ratione ducti; quia contra Justitiam non peccatur, nisi quando jus alterius violatur. atqui per fornicationem cum Sponsa alterius non violatur jus Sponsi; hoc enim aliud non est, quam debitum, & obligatio cum Sponso, aut Sponsa contrahendi Matrimonium, quae ex parte fornicantis integra manet. *Confirmant* paritate cum Novirio, qui etsi vo- verit Religionem se professurum ex vi tamen istius promissionis non obligatur praecipis



futuri Status, aut continentie vinculo, ergo nec Sponsa, quæ promisit corpus suum se traditurum per futuras nuptias, ex vi hujus promissionis obligabitur ad continentiam, ita, ut fornicando contra Justitiam peccet.

85 Verùm hoc non obstante, dicendum, ejusmodi fornicatione peccari non solum contra temperantiam, sed etiam contra Justitiam. Ita Sarmient. l. 1. *seleçt. c. 5. n. 3.* Petr. de Ledem. *de Matrim. q. 43. art. 1. dub. ult.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 73. n. 8.* Sanch. l. 1. *de Matr. D. 2. n. 5.* & b. Gutier. *de Matr. c. 1. n. 17.* Conink *D. 22. dub. 1. n. 6.* Laym. l. 5. *tr. 10. p. 1. c. 1. n. 6.* Bonac. *de Sponsal. q. 1. p. 10. n. 12.* Pal. *tr. 28. D. 1. p. 7. n. 5.* Rosignol. *de Sponsal. disp. 1. §. 2. n. 2.* Pirh. *tit. de Adult. n. 3.* Wiest. *hic n. 57.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Sponsal. c. 4. n. 10.* & alij apud istos. Sumitur non obscure ex *c. quemadmodum 25. de Jurejur.* in cujus principio, ut ibi advertit Abbas *n. 4.* Innocentius III. ait, non minus Sponsæ, quàm Sponso innocenti alterius fornicatione justam præberi causam resiliendi ab obligatione Sponsalium, utique quia ejus jus, & obligatio Justitiæ violata est à fornicante. Ratio est; quia ipso Sponsalium contractu Sponsus, & Sponsa fidem sibi dederunt mutuo de corporis sui usu sibi tradendo, & nulli alteri. atqui hoc jus non minus, imò magis violatur, si eorum unus fornicationem commisit cum alio, quàm si Matrimonium cum eo contraxit; quia fornicatio longè foedior, semperque illicita est. ergo &c.

86 Atque hinc communiter DD. inferunt, circumstantiam hanc necessariò exprimendam esse, utpote quæ peccato intemperantiæ novum addit peccatum contra Justitiam, & cons. speciem mutat. Quod verum est sequendo sententiam probabiliorum, & tutiorem; nam hoc non obstante Laym. *n. 6. cit. §. sed retentà* advertit, in praxi adhuc probabile, & tutum videri, quòd talis circumstantia Sponsaliorum reticeri possit, si fornicatio occulte mansura sit: idque non tantùm propter auctoritatem DD. ita opinantium, sed etiam quia injuria, licet aliqua sit, non tamen tam gravis alicui videri potest, præsertim si Sponsus cum altera fornicetur, ut ad mortale crimen adversus Justitiam pertingat. Secus est, si fornicatio in publicam notitiam devenitura, aut periculum sit prolis generandæ cum dedecore, & contristatione Sponsæ, quæ fortasse idcirco à Sponsalibus resiliere cogetur.

87 Ad Rationem in contrarium allatam patet ex dictis, contractu Sponsalium non tantùm promitti futurum Matrimonium, sed etiam fidem dari de usu corporis sibi tradendo, non alteri; igitur etsi primum jus intactum maneat, cum tamen secundum

violetur per fornicationem, hæc à peccato Injustitiæ absolvi non potest. Ad Conf. nego paritatem; nam Votum DEO fit, nec Religio per illud aliquod jus in votentem acquirit, sicut per Sponsalia jus Sponso acquiritur in corpus Sponsæ.

Dub. 4. an hujusmodi fornicatio Sponso, aut Sponsæ cum alio sit adulterium? Affirmant Gloss. in *c. quemadmodum 25. V. Sponsam de Jurejur Palud. in 4. d. ff. 27. q. 1. art. 3. pr. n. 17.* Sarmient. l. 1. *seleçt. c. 5. n. 1.* & seqq. & alij apud Sanch. l. 1. *de Matr. D. 2. n. 1.* Nituntur textu *l. si uxor 13. §. Divi 3. ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* ubi permittitur vindicari concubitus cum alterius Sponsa, tanquam adulterium. Neque dici potest, id intelligendum de Sponsalibus de præfenti; nam eo textu sermonem esse de Sponsalibus de futuro, manifestè patet ex eo, quod additur: *quia --- nec spem Matrimonij violare permittitur.*

Sed adhuc dicendum, ejusmodi fornicationem, licet, ut *n. 85.* dictum est, adjunctum sibi habeat peccatum contra Justitiam, non tamen esse propriè adulterium. Ita Covar. *p. 1. de Sponsal. c. 1. n. 11.* Henriq. l. 1. *c. 13. n. 4.* Sanch. l. 1. *D. 2. n. 2.* Gutier. *c. 1. de Matr. n. 16.* Conink *D. 22. Dub. 1. n. 4.* Tann. *tom. 4. D. 8. de Sacram. dub. 3. n. 40.* Laym. l. 5. *tr. 10. p. 1. c. 1. n. 6.* Pal. *tr. 28. D. 1. p. 7. n. 9.* Pirh. *hic n. 5.* Ratio est; quia adulterium propriè in nuptiam committitur *l. inter 6. §. Lex 1. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* atqui Sponsa de futuro non est nupta, ergo concubitus cum aliena Sponsa non est adulterium. Conf. adulterium est violentio alieni thori, sed is, qui accedit ad alienam Sponsam thorum alienum non violat; quia hic non est permissus sponsis ante Matrimonium contractum per verba de præfenti, ergo &c.

Ad Argumentum oppositum dico in *l. cit.* concedi vindictam Sponso, non ex eo, quòd fornicatio cum Sponsa alterius sit adulterium, sed quia est atrox injuria ipsi Sponso illata.

Dub. 5. quando Sponsalia sint implenda? Certum est, si impletioni Sponsalium, seu nuptijs certus terminus mutuo consensu præfixus est, eum terminum, nisi aliter postea inter Sponsos convenerit, observandum; quia est promissus *arg. l. trajectitiae 23. ff. de O. & A. & l. magnam 12. C. de contrab. stipulat.*

Controversia est, quando nullum impletioni constitutum est tempus. Navar. *Man. c. 17. n. 97.* Sanch. l. 1. *de Matr. D. 28. n. 2.* Gutier. *c. 15. de Matrim. n. 5.* Tann. *tom. 4. D. 8. q. 1. dub. 3. n. 35.* Rosignol. *de Sponsal. præf. n. 2.* Pirh. *hic n. 16.* Schambog. *n. 31.* König *n. 52.* & alij apud istos existimant eo casu obligationem



implendi Sponsalia non dari antè, quàm alter exigat: quod colligunt ex *l. debitores 10. C. de pignor. & ibi Gloss. V. conveniendi*. Sed revera textus iste non favet adversè sententiæ; quia ibidem non tam de debiti solutione, quàm de pignoris distractione agitur, ad quam à creditore procedendum non est ante debiti exactio- nem *l. debitoribus 18. C. de administr. tutor.*

90 Hinc dicendum, probabilitè eo ca- su obligationem implendi Sponsalia de Ju- ris rigore incipere à die, quo contracta illa sunt. Ita Barth. à Ledefin. *de Matr. dub. 13. pr. Conink D. 22. dub. 1. concl. 2. Pont. l. 12. de Matr. c. 6. n. 1. Perez. de Matr. D. 6. sect. 1. n. 4. Pal. tr. 28. D. 1. p. 7. n. 2. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 1. §. 6. n. 6. & 7. Zoel. hic n. 17. Schamb. n. 31. Wiest. n. 59. Reiffenst. n. 143.* Sumitur ex *l. in omnibus 14. ff. de R. J. ibi, In om- nibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, presenti die debetur: quod repetitur l. eum qui 41. §. quotiens 1. ff. de V. O.* Ratio est; quia non est aliqua specialis ratio, ob quam post mensem, & non post diem impleri Sponsalia debeant, cum eorum presentanea executio utilis contrahentibus esse possit, igitur debetur statim, intelli- ge, cum quodam spatio, & temperamen- to temporis; nam obligatio hæc non est alia, quàm in reliquis contractibus, ubi non statim eadem die cum sacco venire stipulator debet *l. quod dicimus 105. ff. de Solution.*

91 Dixi autem de *Juris rigore*, & per se loquendo; nam ut non malè advertit Pal. n. 2. cit. & consentit Magnif. P. Schmier p. 1. de *Sponsal. c. 4. n. 17.* Sponsus à Spon- salium impletione, cum ista non exigitur, regulariter excusatur per accidens; quia pars eam non exigendo (saltem si hoc ex verecundia, oblivione, vel alia simili causa non omittat) in dilationem tacitè consenti- re censetur. Bene tamen Gobat *Theol. Ex- per. tr. 10. n. 124. Schamb. n. 31. cit. Kö- nig hic n. 124. Wex n. 6. cit.* addunt, ni- hilominus omnino esse curandum Parochis, ut post contracta Sponsalia, quamprimum fieri potest, contrahatur Matrimonium, ad vitandum periculum fornicationis.

92 Dub. 6. an si unus Sponforum exi- gat impletionem Sponsalium, alter ad eam Excommunicatione, aliisque Ecclesiasticis poenis compelli possit? *Rationem dubi- tandi facit l. stipulationes 72. pr. §. Celsus ff. de V. O.* ubi deciditur in obligationibus facti neminem compelli, sed soluto interesse liberari. 2. c. *preterea 2. h. tit.* ubi re- silientes, ut Sponsalia exequantur, dicuntur *commonendi, & modis omnibus inducendi*, ne- que mentio fit coactionis per Censuram, aut aliam poenam. 3. c. *requisivit 17. eod.* ubi Lucius III. ait Sponsam ad Spon- salium impletionem *monendam potius, quàm*

*cogendam*, ex ratione, quòd *coactiones dif- ficiles soleant exitus frequenter habere.* 4. Si coactio fiat, intentata Excommunicatio- ne, Matrimonium erit gravi metu extor- tum, & conf. irritum, uti dicitur *infra*. 5. Matrimonia debent esse libera. talia non essent, siquis ad ea ineunda Censura, & aliarum Ecclesiasticarum poenarum metu cogi posset.

Sed his non obstantibus, dicen- 93 dum, si Sponsus absque justa causa, & al- tero infcio, aut invito resiliat, & monitio non proficiat, eum Censuris, aliisque poe- nis Ecclesiasticis compellendum ad Spon- salia, etiam non jurata, implenda. Ita Abb. in c. *ex litteris 10. h. tit. n. 3. Alex. de Nevo in c. requisivit. cit. n. 10. Rosell. V. Spon- salia n. 3. Carrer. l. 1. de Sponsal. c. 11. Co- var. p. 1. de Sponsal. c. 4. n. 3. Henric. l. 11. c. 13. n. 4. Sanch. l. 1. de Matr. D. 29. n. 4. Conink D. 22. dub. 2. Tann. tom. 4. D. 8. q. 1. dub. 3. n. 36. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 3. & 4. Pont. l. 12. c. 6. n. 2. Pal. tr. 28. D. 1. p. 8. n. 2. Rosignol. de Sponsal. pren. 8. n. 53. Vallenf. hic §. 3. n. 2. Zoel. n. 18. Honor. n. 13. Pirh. n. 17. Schamb. n. 26. König n. 5. Wiest. n. 62. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 4. n. 20. idque Curiarum Ecclesiasticarum praxi receptum testis est Gutier. l. 1. can. 99. c. 18. n. 10. Ratio universalis est; quia Judex, præsertim Ecclesiasticus, ex offi- cio, & munere suo tenetur opportunis re- medijs procurare, ne subditi officium suum implorantes injuriam patiantur, & cuique tribuatur, quod suum, aut sibi debitum est. atqui is, qui Sponsalia contraxit cum altera, ex Justitia tenetur implere promissio- nem, & si non impleat, gravem illi inju- riam infert, ut dictum est *suprà n. 80. & tribus seqq.* igitur à Judice compelli ad illud potest, & debet, etiam Censuris, & Ex- communicatione, si aliter, quod justum est, impetrare non possit.*

Dixi, si aliter hoc impetrare non pos- 94 sit; nam ut *l. cit.* salubriter advertunt Gu- tier. n. 31. Sanch. n. 7. Pal. n. 3. Vall. y. non tamen, Pirh. n. 19. Magnif. P. Schmier n. 24. & alij *suprà*, ita resiliens juxta c. *re- quisivit cit. potius*, h. e. prius, ut vox illa à DD. exponitur apud Barbof. in c. *cit. n. 3.* moneri debet, quàm Excommunicationis, aut alià intentatà poenâ compellatur. Imò si Judex advertat, Excommunicationem ob nimiam resiliens pertinaciam nihil profu- turam, ab ea abstinere, & jam inflictam, in- junctâ tamen parti nocenti poenâ, & satis- factione debitâ, relaxare debet, ad evitandâ scandala, aliâque incommoda, quæ ex con- sensu coacto, vel ficto solum oriri solent, & sæpe majus sunt malum, quàm sit violatio fidei, in Sponsalium contractu datæ, ut *l. cit.* notant Covar. n. 5. Sanch. n. 8. Laym. n. 4. & alij jam allegati.

Ad



Ad Argumenta in contrarium allata  
 95 facilis est responſio. Ad 1. lex illa intel-  
 ligi debet de factis, quæ æſtimationem  
 recipiunt; ſecus eſt de factis, quæ nullo  
 pretio compenſari poſſunt, uti ſunt Spon-  
 ſalia. Ad 2. textus c. præterea loquitur  
 de caſu, quo à Sponſalibus receditur mutuo  
 contrahentium conſenſu, ut patet ex verbis  
 ſi ea ad invicem admittere noluerint: hoc  
 igitur caſu inſtantia recedendum, tan-  
 quam minus malum, eſt toleranda, quam-  
 vis commonendi ſint, ut non recedant.  
 Ad 3. patet ex dictis n. præc. in princ. Ad  
 4. non omnis metus gravis, ſed tantum  
 injuſtè incuſus facit irritum Matrimonium;  
 talis autem non eſt, qui ab Excommunica-  
 tionis, aut alterius Eccleſiaſticae poenæ inten-  
 tatione exurgit, cum Judex, præſertim Ec-  
 cleſiaſticus, juſtè poſſit Cenſuris cogere ho-  
 mines ad id, ad quod faciendum ſub obliga-  
 tione peccati mortalis tenentur. Ad 5.  
 metus iſte libertati non obſtat; tum quia  
 injuſtè reſiliens eo ſe liberare injuriæ re-  
 movendo poteſt; tum quia ita coactus ip-  
 ſa promiſſione Matrimonij neceſſitatem il-  
 lud contrahendi libero voluntatis ſuæ con-  
 ſenſu ſibi impoſuit juxta vulgatum, quo con-  
 tractus dicuntur initio eſſe voluntatis, poſtea  
 verò neceſſitatis, propria voluntate inductæ  
 l. ſicut 5. C. de O. & A.

96 Quæritur 2. quid ſit Impedimentum  
 publicæ honeſtatis, ſeu publicæ honeſtatis  
 juſtitia? R. ita nuncupatur Impedimentum  
 nuptiale, ex Sponſalibus, vel Matrimonio  
 rato ortum. Deſinitur, quòd ſit quedam  
 quaſi affinitas ex inchoatione Matrimonij per  
 conjunctionem non corporum, ſed animorum or-  
 ta inter Sponſos & conjugia cum ipſorum con-  
 ſanguineis contrahendo obſtans. Introducitur  
 eſt hoc Impedimentum non naturali, aut Di-  
 vino, ſed Eccleſiaſtico ſolum Jure can. ſiquis  
 deſponſaverit 11. can. ſiquis uxorem 14. can.  
 ſiquis deſponſaverit 15. can. quidam 31. &c.  
 cauſ. 27. q. 2. c. Juvenis 3. c. ad audientiam 4.  
 c. Sponſam 8. h. tit. c. littera 4. de deſponſ. im-  
 pub. & c. un. hic in 6. Hæc Infideles va-  
 lidè tempore infidelitatis Matrimonium in-  
 eunt cum conſanguineis prioris Sponſæ, niſi  
 Legibus eorum hoc Matrimonium irri-  
 tetur, Sanch. l. 7. de Matr. D. 68. n. 2.

97 Ratio Impedimenti hujus inducendi ju-  
 ſtiſſima fuit; nam æquum omnino, juſtüm-  
 que, & publicæ honeſtati conveniens eſt, ut  
 propter inchoationem Matrimonij, quæ fit per  
 Sponſalia, impediretur Matrimonium Spon-  
 ſi cum conſanguineis Sponſæ, & viciffim  
 Sponſæ cum conſanguineis Sponſi, ita, ut  
 ſicut ex Matrimonio conſummato naſcitur  
 vera affinitas, ita ex Sponſalibus oriretur  
 quaſi affinitas, Sanch. l. cit. n. 1. Laym. l. 5.  
 tr. 10. p. 4. c. 9. n. 1. Pal. tr. 28. D. 4. p.  
 10. n. 1. Vivian. in c. 4. cit. pr. Gonz. ibid. n.  
 9. Puh. hic n. 30. Wiclt. ibid. n. 203.

Dub. 1. unde oriatur Impedimentum  
 publicæ honeſtatis? R. oritur ex duplici  
 capite, videlicet ex Sponſalibus de futuro, &  
 ex Sponſalibus de præſenti, ſeu Matrimonio  
 rato. Quòd oriatur ex Sponſalibus de futu-  
 ro, patet ex textibus cit. n. 96. Quòd ve-  
 rò etiam ex Matrimonio rato, non habe-  
 tur clarus aliquis in Jure Canonico textus.  
 Adducitur quidem in ejus probationem tex-  
 tus can. ſiquis deſponſaverit 15. cit. & can. ſin.  
 cauſ. 31. q. 3. Sed primus intelligi poteſt  
 potiùs de Sponſalibus de futuro, ſecundus  
 de Matrimonio conſummato. Neque ob-  
 ſtat, quòd hoc poſteriore textu id Impedi-  
 mentum appelletur publicæ Honeſtatis, cum  
 revera ex Matrimonio conſummato non oria-  
 tur, niſi affinitas; quia etiam affinitas aliquan-  
 do publicæ Honeſtatis dicitur, ut patet ex c.  
 tue 10. junct. Gloſſ. V. Honeſtatem. & ex c.  
 diſcretionem 6. junct. Gloſſ. V. publicam, de  
 eo qui cognovit &c.

99 Quare dicendum, id colligi deſuſo  
 argumento à fortiore; nam vinculum, quod  
 exurgit ex Matrimonio rato, longè eſt for-  
 tius, quàm quod naſcitur ex Sponſalibus de  
 futuro, igitur æquum fuit, ut ſicut iſta, ita  
 etiam illud Impedimentum Matrimonij con-  
 trahendi inducat: non autem inducit affini-  
 tatem veram, juxta pronuntiatum Benedi-  
 cti Papæ can. lex 18. cauſ. 27. q. 2. ibi, Pro-  
 pinquitas ſanguinis verbis dicitur, non verbis  
 efficitur; & declarationem S. Pij V. Motu pro-  
 prio incipit, Ad Romanum edito 1568. ergo  
 ſaltem inducet Impedimentum publicæ Ho-  
 neſtatis.

Dub. 2. quouſque Sponſalia, & Ma-  
 trimonium ratum inducant Impedimentum  
 iſtud? R. Jure antiquo dirimebant uſque  
 ad quartum gradum incluſivè: quod quidem  
 nullo Juris textu expreſſum eſt, colligitur  
 tamen arg. c. non debet 8. de conſang. ubi Im-  
 pedimentum affinitatis ad eum gradum re-  
 ſtringitur, igitur nec publicæ Honeſtatis ulte-  
 rius extendi debuit. S. Thom. in 4. diſt. 4. q.  
 un. art. 1. quaſtiunc. 4. Corp. C. jet. V. Matri-  
 monium c. 1. imped. 10. Sanch. l. 7. de Matr.  
 D. 68. n. 8. König de Sponſ. duor. p. 2. n. 4.  
 Engl. hic §. 6. n. 2. Wiclt. ibid. n. 205. & alij  
 apud iſtos.

Novo Jure Tridentini ſeſſ. 24. c. 3. de  
 reform. Matr. diſtinguendum eſt inter Spon-  
 ſalia de futuro, & Sponſalia de præſenti, ſeu  
 Matrimonium ratum. Nam Impedimentum  
 publicæ honeſtatis ortum ex Sponſalibus de  
 futuro inter Sponſum, & conſanguineos  
 Sponſæ, & viciffim Matrimonium non diri-  
 mit, niſi ad primum gradum. At verò illud,  
 quod inducitur per Matrimonium ratum, in  
 amplitudine ſua manſit, conſ. adhuc dirimi-  
 Matrimonium contrahendum uſque ad quar-  
 tum gradum incluſivè, ut olim, Sanch. l. 7. cit.  
 D. 70. n. 16. Rebell. de oblig. Juſt. l. 4. append.  
 n. 102. Pont. l. 7. de Matr. c. 25. n. 3. Honor.  
 hic



*hic n. 12. & communiter ceteri.* Patet ex *Motu proprio S. Pij V. cit.* & declaratum est à Cardd. apud Joan. Gallemart *ad c. 3. cit. n. 3. §. item Congregatio censuit.* Ratio est; quia Trid. *l. cit.* expressè loquitur de Sponsalibus, & Impedimento ex istis orto igitur decretum illius, cum sit correctivum Juris antiqui, de his ad Matrimonium ratum extendi non debet.

**101** Dub. 3. quid requiratur, ut per Matrimonium ratum inducatur Impedimentum publicæ Honestatis? *q.* duo requiruntur. *Unum* est, ut sit purè, & absolutè initum, nec aliqua conditione suspensum; nam si conditionatè initum sit, sicut per eam conditionem suspenditur Matrimonij valor, ita etiam publica honestas, ut *infra n. 108.* dicitur de Sponsalibus. König *de Spons. duor. p. 2. n. 7.* *Alterum*, ut Matrimonium non sit invalidum ex defectu consensûs. Hinc si Matrimonium irritum sit propter metum cadentem in constantem virum, aut propter errorem in persona, vel unus contrahentium sit infra pubertatem aut celebratum sit à Procuratore, qui interim, licèt ignoranter revocatus est, his, & similibus casibus nulla oritur publica honestas ex Matrimonio ita contracto. Secus, si alio ex capite, e. g. ob Impedimentum consanguinitatis, affinitatis, impotentia, Religionis &c. irritum sit; tunc enim Impedimentum publicæ honestatis, non obstante Matrimonij invaliditate, contrahitur, prout patet ex *c. un. h. tit. in 6.* & unanimiter tenent DD.

**102** *Controversia* inter eosdem est, an Impedimentum istud inducatur etiam per Matrimonium ratum, quod nullum, & irritum est ob Impedimentum clandestinitatis, quòd videlicet non sit contractum coram Parocho, & testibus? Negant Sanch. *l. 7. de Matr. D. 70. n. 13.* & Engl *hic §. 6. n. 5.* eò, quòd talis contractus ex defectu assistentia Parochi, & testium non habeat formam, aut figuram Matrimonij, sicut tamen illam habet, quando contractum est cum alio aliquo Impedimento. oritur autem publica honestas ex conjunctione animorum non qualicumque, sed illa, quæ fit in forma Matrimonij, & Sponsalium, ergo &c.

Sed adhuc dicendum, probabilius etiam hoc casu Impedimentum publicæ honestatis contrahi. Ita Gutier. *c. 103. de Matr. n. 9.* Pont. *l. 7. de Matr. c. 36. n. 5.* Perez *D. 33. §. 3. n. 3.* Pal. *tr. 28. D. 4. p. 10. n. 3.* Fagnan. *in c. ad audientiam h. tit. n. 20.* Pignatell. *tom. 4. consuit. 15. n. 2.* König *de Spons. duor. p. 2. n. 8. fin.* Wiest. *hic n. 270.* & declaratum est à Cardd. in *Brixienf. 3. Decemb. 1667.* Ratio est; quia Impedimentum istud secundum Jus antiquum inducitur per quodcumque Matrimonium ratum, etiamsi irritum sit, si irritum illud sit aliunde, quam ex defectu consensûs; & hoc Jus antiquum per Trid. non est correctum circa Matrimonium, seu Sponsalia de præsentia, ut dictum est *n. 100.* ergo &c.

Ex quo cadit Argumentum Sententiæ oppositæ.

Dub. 4. ex quibus Sponsalibus oritur Impedimentum publicæ honestatis? *q.* olim ut Matrimonium, ita etiam Sponsalia de futuro quæcumque, etiam invalida, modo invalida non fuerint ex defectu consensûs, Impedimentum hoc inducebant, ut patet ex *c. ad audientiam 4. h. tit. & c. un. cod. in 6.* Atque hinc si Titius v. g. cum Caja contraxit Sponsalia de futuro in præjudicium Sponsalium antè contractorum ab ipso cum Bertha sorore Cajæ, uterina quidem, sed ex alio patre, eodem Jure non solum contraxit Impedimentum publicæ honestatis per prima Sponsalia, sed etiam per secunda invalida, quo quidem non arcebat à Matrimonio contrahendo cum Bertha prima sua Sponsa (quia Impedimentum hoc non agit retrorsum, ut DD. loquuntur) prohibebatur tamen ducere quamcumque ex consanguineis Cajæ intra quatum gradum, acsi primò cum illa, & sine vitio celebrasset Sponsalia.

Hodie Impedimentum istud, quatenus surgebat ex Sponsalibus invalidis, omnino sublatum est per Trid. *sess. 24. c. 3. de reform. Matr.* & statutum, ut oriretur tantum ex Sponsalibus validis. An verò Decretum hoc S. Synodi extendendum sit etiam ad Sponsalia, quæ invalida sunt ex causa fictionis, quòd simulatè contracta sint, vel ex alio defectu ita occulto, ut in foro externo probari nequeat, controversia est inter DD. Affirmant Sanch. *l. 7. de Matr. D. 68. n. 14.* Henriq. *l. 12. c. 19.* Pont. *l. 7. c. 35. n. 10.* Laym. *l. 4. tr. 10. p. 4. c. 9. n. 2.* Gonzal. *in c. ad audientiam 4. h. tit. n. 7. in fin.* Schambod. *hic n. 48.* & videtur hoc etiam suadere ratio; nam Impedimentum hoc ab Ecclesia inductum est ad evitandam publicam indecentiam, & ex hac provenientia scandala, ut habetur *c. Juvenis 3. h. tit.* at qui hæc non minus oriuntur ex Sponsalibus fictis, aut ex alio defectu occulto invalidis, si deinde contrahatur Matrimonium cum consanguinea Sponsa talis, ergo &c.

Sed melius tenetur negativa, quam totus etiam defendunt Navarr. *Man. c. 22. n. 57.* Petr. de Ledesin. *q. 55. art. 4. dub. 1. circa solutionem tertij,* Rebell. *l. 3. de oblig. Just. q. 14.* Connk *D. 32. dub. 5. n. 69.* Pal. *tr. 28. D. 4. p. 10. n. 7.* Gobat *Theol. Exper. tr. 9. n. 368.* König *de Spons. duor. p. 2. n. 9.* Wiest. *hic n. 277.* Proceditque hoc tam de Jure antiquo, quam de novo: de antiquo quidem; quia hoc Jure, ut *n. 103.* dixi, expressè excipitur, si Sponsalia invalida sint ex defectu consensûs, talia autem sunt Sponsalia ficta,



106 *ta*, & simulata. De Jure novo autem; quia Trid. c. 3. cit. negat Impedimentum istud induci per Sponsalia quacunq; ratione invalida, neque distinguit inter causam nullitatis internam, & externam, occultam, & publicam. *Conf.* ex ratione; nam Impedimentum publicæ honestatis est quadam quasi affinitas. igitur sicut ista non ex attentata, sed vera & per carnalem copulam consummata corporum conjunctione oritur, ita etiam Impedimentum istud provenire solummodo debet ex vera, & mutua animorum conjunctione, non simulata, & ficta. *Ex quo sequitur*, casu, quo Titius, qui prius Sponsalia fictè contraxit cum Bertha, deinde Matrimonium per verba de presenti contrahit cum Caja sorore Berthæ, Matrimonium tale in foro conscientie fore validum, licet in foro externo, nisi Titius fictionem probaverit, præsumatur nullum.

107 Neque obstat ratio in contrarium allegata; quia, ut Pal. n. 7. cit. observat, hac in re spectanda est honestas, non quæ ex iudicio hominum oritur, sed quæ ex contractu, atque ex contractu Sponsi cum consanguineis Sponsæ, & vicissim solum oritur inhonestas, quando vera, & valida sunt Sponsalia, non verò quando ficta, aut alio ex capite invalida, ergo &c. Neque refert, quòd fictio hæc occulta sit; nam Impedimentum hoc nascitur, non quòd publicè Sponsalia pro veris, & validis habeantur, sed quòd talia revera sint; aliàs ex Sponsalibus validis, & occultis non oriretur, si illa inita fuisset nunquam innotesceret, quòd falsum est.

108 Dub. 5. an publicæ honestatis Impedimentum nascatur etiam ex Sponsalibus incertis, aut conditionalibus? *Sponsalia incerta* forent, si quis promittat se ducturum unam ex duabus filiabus Titij, & illæ consentiant: *Conditionata*, si promittat Matrimonium unicum certè, sed sub conditione in futurum suspendente consensum, e. g. si certam dignitatem sit consecutus &c. *Ex incertis* ante electionem non oritur Impedimentum istud; quia ante electionem, ut num. 35. dictum est, nondum sunt perfectæ Sponsalia, nec Sponsalitiæ obligationem inducunt: estque hoc verum etiam de Jure antiquo, ut patet ex c. un. b. tit. in 6.

109 De Sponsalibus conditionatis distinguendum est: nam ante eventum conditionis per ea Impedimentum istud non inducitur, inducitur autem post hujus eventum. Quòd ante eventum conditionis non oriatur Impedimentum hoc, patet ex c. un. cit. §. ille verò, & ratio clara est; quia cum conditio suspendat consensum usque ad eventum sui, antequam ea impleatur, Sponsalia non sunt valida ex defectu consensûs. Atque hinc si quis contrahat Sponsalia de presenti, seu Matrimonium cum sorore Sponsæ, conditione nondum extante, Matrimonium valet. R. P. Schmalzgrueber L. IV.

non obstante promissione, quâ se conditionatè obligavit Sponsa priori. Quòd verò post eventum conditionis oriatur Impedimentum istud, colligitur argumento à sensu contrario; quia tunc sunt Sponsalia pura, seu absoluta, & habent perfectum consensum. Henriq. l. 12. de Matr. c. 10. n. 2. Sanch. l. 7. de Matr. D. 69. n. 2. Valent. hic §. 3. n. 3. Honor. n. 9. Pirh. n. 38. Engl. §. 6. n. 7. Schamb. n. 44.

Dub. 6. an si v. g. Titius post Sponsalia de futuro valida inita cum Bertha, deinde Matrimonium ratum, invalidum ob Impedimentum publicæ honestatis ex istis ortum, contrahat cum Tullia sorore Berthæ, ex isto Matrimonio vicissim oriatur Impedimentum publicæ honestatis respectu Berthæ, ut eam Titius non ampliùs possit ducere? Videtur respondendum affirmativè; quia tali casu supervenit Impedimentum dirimens publicæ honestatis ex Matrimonio cum sorore Berthæ contracto, atque superveniente Impedimento dirimente dissolvuntur Sponsalia prius inita, ut regulæ instat receptum est, & pluribus alijs exemplis patet. Sic enim 1. Sponsalia cum una de futuro inita dissolvuntur per Sponsalia de presenti contracta cum alia ob Impedimentum ligaminis c. duabus 1. de Spons. duor. 2. Si Sponsus post Sponsalia contracta cum Bertha, commercium carnale habeat cum sorore Berthæ, etiam Bertham non ampliùs potest ducere ob affinitatem ex commercio illo exurgentem can. si quis Sponsam 32. caus. 27. q. 2. c. ex literis 8 & c. veniens 9. de eo, qui cognovit &c. 3. Idem dicendum, si superveniat Impedimentum cognationis Spiritualis, & Voti solennis, aut susceptione Ordinis Sacri, aut Religionis Professione edui &c.

Sed dicendum, per hujusmodi Matrimonium invalidum non consummatum, in initum cum sorore Sponsæ, induci quidem Impedimentum publicæ honestatis, per quod arceatur à Matrimonio contrahendo cum consanguineis cæteris Tullie usque ad quartum gradum, Sponsalibus tamen prius cum Bertha validè initis per illud non derogari per expressum textum c. un. b. tit. in 6. Aliud foret, si cum posteriori Matrimonium invalidè contractum consummasset; nam eo casu cum neutra posset inire validè Matrimonium: non cum prima ob Impedimentum affinitatis conturgens ex copula cum Sorore habita; non cum posteriori propter Impedimentum publicæ honestatis ex Sponsalibus contractis cum ejus sorore.

Ad rationem dubitandi negatur paritas; quia Impedimentum publicæ honestatis retroagendi, sive prius initis Sponsalibus præjudicandi vim non habet ex c. cit. hanc tamen vim habet affinitas, & cætera Impedimenta dirimentia. Angel. V. Matrimonium 3. imped. 14. n. 10. Navarr. Man. c. 22. n. 57.

D

Gæ-



Gæta Repetit. can. ad limina caus. 30. q. 1. §. 4. n. 495. Sanch. l. 7. de Matr. D. 68. n. 24. Perez D. 33. sec. 3. n. 5. Sporer de Matrim. n. 58. König de Spons. duor. p. 2. n. 10. Wiest, hic n. 275.

112 Dub. 7. an Impedimentum hoc, ex Sponsalibus confurgens, sit perpetuum, ita, ut non cesset, etsi Sponsalia ex aliqua causa dissolvantur? Certum est 1. non cessare, quando Sponsalia dissolvuntur per mortem alterius Sponsi ob claros textus can. si quis desponsaverit 11. can. si quis uxorem 14. caus. 27. q. 2. & c. Sponsam 8. b. tit. Certum est 2. idem Impedimentum manere, si dissolvantur, quod unus Sponsorum professus sit Religionem, susceperit SS. Ordines, aut ob fornicationem alterius, vel aliam justam causam ab ijs resiliit; id enim plerique videntur supponere, & expressè tradunt Laym. l. 4. tr. 10. p. 4. c. 9. n. 3. Perez D. 8. sec. 2. n. 5. Engl hic §. 6. n. 4. Wiest, n. 278. fin.

113 Controversia inter DD. est de casu, quo Sponsalia mutuo consensu dissolvuntur. Quo casu Impedimentum hoc tolli putant Emman. Saa V. Matrimonium n. 12. Pont. l. 7. c. 30. n. 9. Gutier. c. 103. de Matr. n. 21. Pal. tr. 28. D. 4. p. 10. n. 9. Barbol. de Offic. Episc. alleg. 51. n. 188. Engl hic §. 6. n. 3. Fundantur 1. quia juxta Trid. c. 3. cit. non inducitur Impedimentum istud ex Sponsalibus quacunque ratione invalidis. atqui Sponsalia, quæ mutuo consensu dissolvuntur, invalida sunt, ut declaratum est à S. Congr. Card. Concil. Interpp. teste Farin. ad c. 3. cit. & Rebell. l. 4. de oblig. Jusf. q. 4. n. 99. 2. Qui in dubio Impedimenta Matrimonij, tanquam odiosa, potius restringenda sunt, quam amplianda arg. textis Trid. sess. 24. c. 2. de reform. Matr. 3. Quia quælibet res eo modo dissolvitur, quo modo colligata est l. nihil tam naturale 35. ff. de R. J. sed publica honestas nata, & colligata est ex mutuo partium consensu. ergo mutuo earum dissenso iterum dissolvi poterit.

114 Sed omnino tenendum est, Impedimentum istud, etiam dissolutis mutuo consensu Sponsalibus, nequaquam tolli, ac proinde etiam hoc casu esse perpetuum. Ita Sanch. l. 7. de Matr. D. 68. n. 21. Laym. c. 9. cit. n. 3. Perez n. 4. Fagn. in c. ad audientiam 4. b. tit. n. 29. Sperell. p. 1. decis. 95. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 1. §. 6. n. 42. Gobat. tr. 9. n. 362. Schamb. hic n. 56. Wiest, n. 269. & stat pro ista sententia Declaratio Cardd. Trid. Interpp. de anno 1658. die 6. Julij, quam sub die 10. ejusdem mensis approbavit Alexander VII. iussitque in dubium deinceps non amplius revocari teste Fagnan. & Gobat cit. Ratio est; quia impedimentum istud inducitur Sponsalibus validis, h. e. illis, quæ semel valida fuerunt. talia autem sunt, quæ postea ob dis-

solutionem, mutuo consensu factam, evanescent. ergo &c.

Ex quo cadunt Argumenta sententia adversæ; nam declaratio hæc, ut sic approbata à Summo Pont. transijt in Legem Pontificiam, Plura vide apud P. Wex l. cit. à n. 27.

Quæritur 3. quis sit effectus Sponsalium, quando post ea contracta sequitur copula carnalis Sponsi cum Sponsa? hic distinguendum est inter Jus antiquum, & novum Trid. nam Jure antiquo Sponsalia de futuro per secutam copulam carnalem transibant in Matrimonium, prout sumitur ex c. veniens 15. & c. is qui 30. b. tit. Ratio est; quia Ecclesia ex carnali copula præsumit in Sponsis conjugalem consensum ad excludendum peccatum, quod scilicet Sponsus, & Sponsa non fornicario, sed maritali affectu se invicem cognoscere voluerint; quia delictum non est præsumendum.

Estque præsumptio ista Juris, & de Jure, h. e. omnino certa, & indubitata, contra quam non admittitur probatio: cons. ubi Jus hoc antiquum viget, non audiretur Sponsus asserens, se Sponsam non maritali, sed fornicario solum affectu cognovisse, & si Matrimonium postea contraheret cum alia, compelleretur ad hanc deserendam, & adhærendum primæ Covar. p. 1. de Sponsal. c. 4. §. 1. n. 2. & 3. Barbol. in c. is, qui fidem 30. b. tit. n. 9. Pirh. hic n. 27. Schamb. n. 37. Wiest, n. 148.

Habet autem præsumptio ista locum solum in foro contentioso, & judiciali, non verò in interno conscientia; nam in hoc judicatur secundum rei veritatem, & non secundum præsumptiones, si his aliud quid præsumatur, quam habeat rei veritas. Hinc si Sponsus Sponsam revera non maritali, sed fornicario affectu cognovit, in foro poenitentiali, & coram DEO non esset Matrimonium; quia Papa non potest facere, ut sine consensu expresso, vel tacito sit verum Matrimonium. Fagnan. in c. is qui fidem cit. n. 6. & 7. Pirh. n. 27. cit. in fin. Schamb. n. 38.

Videtur tamen talis in conscientia obligatus esse, ut eam in legitimam uxorem accipiat, non solum ratione fidei in Sponsalibus data, sed etiam quia cogetur in foro externo cum ea cohabitare, quod sine periculo læsionis conscientia; nequit.

Dub. 1. an hujusmodi præsumpta Matrimonia habeant defecto locum etiam nostris temporibus? R. distinguendo; nam in locis, ubi Tridentinum non est receptum, defecto locum habent; at ubi receptum istud est, & promulgatum quoad Matrimonia clandestina, non amplius locum habent, adeoque Sponsalia de futuro per copulam carnalem non transeunt in Matrimonium, nisi per verba de præsentibus, sive per expressum consensum coram Parocho, & te-



& testibus Matrimonium iterum contrahatur. Henriq. l. 11. c. 3. n. 7. Sanch. l. 3. de Matrim. D. 40. n. 3. Barbof. in cap. is qui fidem 30. b. tit. n. 8. Pirh. hic n. 28. & ita sapius decifum est à S. Congreg. Cardd. Ratio est; quia laudatum Concilium sess. 24. c. 1. de reform. prohibuit, & annullavit Matrimonia clandestina, talia autem sunt præsumpta ex copula carnali post Sponsalia Sponsi cum Sponsa; neq; enim legitime constare potest Ecclesiæ de tali Matrimonio, cum licet de copula constet, non tamen constet de animo, quo copula fit inita.

Dub. 2. an Jure antiquo præsumatur etiam Matrimonium, quando copula carnalis verè non fuit secuta, sed solum natus, seu conatus ad illam? Videtur

affirmativa sequi ex ratione resolutionis datæ n. 115. nam si ejusmodi attentatio præsumatur facta animo conjugali, excluderetur peccatum inter desponsatos. Sed respondendum est negativè, prout decifum est c. fin. b. tit. Ratio est; quia conatus, si ve voluntas sine effectu non obest, neque conatus reputatur pro actu perfecto. Ad rationem dubitandi multo major causa est præsumendi Matrimoniale affectum ex ipsa copula, quàm ex attentatione ipsius, & similibus actibus; tum propter majorem gravitatem culpæ, & injuriæ in illa intervenientis; tum verò quia per illam, si consummata sit, fit traditio usus corporis, non verò, si tantum sit attentata.

## §. III.

## De Accidentalibus Sponsalium.

## S U M M A R I U M.

120. An pactum de habitatione in certo loco Sponsalibus quandoque appositum obliget?  
 121. Respondetur affirmativè.  
 122. Rationes dubitandi solvuntur.  
 123. An casu, quo Maritus contra tale pactum aliò se confert, Uxor à loco convento recedere, & sequi Maritum debeat?  
 124. An Maritus tali casu, quo certus locus in pactum deductus est, sati faciat obligationi sue solvendo uxori interesse?  
 125. An vicissim valeat, & licitum sit pactum, ut vir in certo loco non moretur, etiamque non ingrediatur?  
 126. Quid sint Arrhe, & quando restituentur?  
 127. 128. Exceptiones.  
 129. 130. Quomodo differant à pœnis, quæ Sponsalibus nonnunquam adijci solent?  
 131. An utrinque Arrhe pignora constitui possint?  
 132. 133. An pactio Arrharum traditioni adjecta, ut à Sponsalibus injustè resiliens duplicatas, aut quadruplicatas reddat, locum etiam habeat de Jure Canonico?  
 134. An pœna hec dupli, aut quadrupli à resiliente debeatur in conscientia? Prima Sententia.  
 135. Secunda Sententia.  
 136. Respondetur cum distinctione.  
 137. Solvuntur Argumenta contraria.  
 138. An Sponsalibus adijci possit pœna solvenda à resiliente justè?  
 139. Vel injustè? Argumenta Sententiæ negativæ.  
 140. Concluditur pro affirmativa.  
 141. Ratio concludendi.  
 142. Respondetur ad opposita.  
 143. An validum sit Juramentum de pœna solvenda à resiliente injustè? Affirmatur.  
 144. An valeat, si sit de pœna solvenda à resiliente justè? Prima Sententia.  
 145. Secunda Sententia.  
 146. Respondetur non valere.  
 147. Solvuntur Argumenta primæ Sententiæ.  
 148. Respondetur ad Argumenta secundæ.  
 149. 150. An valeat pœna improprie dicta adjecta Sponsalibus, quæ solum consistit in lucro amittendo, aut non acquiendo?

& demonstr. & Bartol. ibid. n. 4. ejusmodi pactum, & pœnam illi firmando adjectam obligare, si eo conventum sit de habitatione hujusmodi temporanea.

Controversia est, quando conventur de habitatione in loco aliquo perpetuò stabilienda. Gottofred. in not. ad l. Titio cit. lit. L. Alex. de Nevo in c. quoniam 2. de conjug. leprof. n. 9. Gomez. tom. 2. var. c. 10. n. 24. Cujacius l. 14. observ. c. 27. cum Dyno, & Bartolo l. cit. tale pactum cum adjecta pœna rejiciunt tanquam irritum. Fundantur 1. l. Titio 71. §. Titio 2. ff. de

PRæter consensum in obligationem suo tempore contrahendi Matrimonium cum tali persona, qui ad Formam Sponsalium substantialem pertinet, eidem Contractui sæpe aliqua accessoriè adduntur. Ex pluribus hic tria consideranda veniunt. 1. Pactum de habitatione in certo loco. 2. Arrharum constitutio. 3. Adjectio pœnæ resiliendi solvenda.

120. Queritur 1. an Pactum de habitatione in certo loco Sponsalibus quandoque appositum obliget? Satis convenit inter DD. contra Dynam in l. Titio 71. ff. de condit. R. P. Schmalzgrueber L. IV.



condit. & demonstr. ubi rejicitur conditio Legato appofita, ut à defuncti monumento non recedatur, vel ut in certa civitate domicilium habeat Legatarius: & ratio additur; quia per eam jus libertatis infringitur. 2. l. omnium 3. §. ne fit 2. ff. de Usufr. ubi operarum locatio perpetua reprobatur, ne fit inutilis libertas eundi, quo voluerit, & in quo quis voluerit, loco commorandi, quæ cuius ingenio permiffa est l. qui manumittitur 12. C. de oper. libert. 3. ratione; quia necessitas in certo loco commorandi est instar carceris, atqui ut carcere quis constringatur, aut vinculis, obligatio inita non tenet; quia eundi, quod lubet, libertatem admittit.

221 Sed longè probabilius est obligationem, & validam esse pactionem, Sponsalibus, & ipsi etiam Matrimonio additam, quæ convenitur de habitatione in certo loco. Ita Hofst. in c. 1. qui Matrim. accus. poss. Joan. Andr. ibid. n. 2. Ancharan. n. 5. Abb. n. 5. Rosell. V. uxor. n. 3. Sylv. V. eod. n. 8. Navar. Man. c. 14. n. 20. Philarc. de offic. Saacerd. tom. 1. p. 2. l. 4. c. 19. §. 6. Rodriq. tom. 1. Summ. c. 15. n. 2. Sanch. l. 1. de Matr. c. 40. n. 2. Pont. l. 12. de Matr. c. 20. à n. 3. Perez D. 7. sect. 3. n. 3. Wiest. hic n. 65. Ratio est; quia talis pactio, & conditio nullo Jure rejicitur: non naturali, & Divino; quia illis libertas non admittitur, sed aequaliter duntaxat, & propriæ voluntatis spontaneo consensu restringitur: non civili; quia hoc Jure potest aliquis adscribi fundo colendo, & Curialis constitui, ita, ut nec ille à fundo sine licentia Domini, nec iste à Curia sine licentia Præsidis possit recedere l. originarios 11. & l. seq. C. de agricol. §. censit. l. Decuriones 1. ff. l. siquis 16. & l. quidam 26. c. de Decurion. ergo poterunt ea conditione etiam iniri Sponsalia: non denique Jure Canonico; quia in hoc ne vestigium quidem reperitur hujus pactionis reprobata. Atque hinc sequens ducitur Argumentum: Sponsalia, & ipsum quoque Matrimonium iniri possunt quibusvis pactis, & conditionibus Jure non reprobatis, & non contrariis eorum naturæ: atqui conditio, adstringens ad habitandum in certo loco, non est Jure reprobata nec contraria naturæ Sponsalium. ergo &c.

222 Neque obstant Argumenta contraria, Ad 1. per l. Titio cit. solum rejicitur conditio commorandi in certo loco, quando vanè, & inutiliter apponitur Legato; non verò quando contractui, & utiliter adjicitur, sicut fieret, quando femina nuptiali contractui apponit conditionem, ne desertâ patriâ, & procul à suis inter extraneos, & ignotos vitam cogatur exigere. Ad 2. eadem est responsio. Ad 3. diminutio hæc libertatis aliqualis tantum est, & qualem ex iusta causa, & in gratiam alterius su-

bire liberæ, & spontaneæ voluntatis electione nemo prohibetur.

Dub. 1. an casu, quo pactum de habitatione in certo loco adjectum est Sponsalibus, vel Matrimonio, uxor à loco convento recedere, & maritum, aliò se conferentem, sequi teneatur? Affirmat cum alijs Calderin. in c. 1. de conjug. leprof. ex ratione; quia Lex Divina fortior est quocumque pacto. hæc autem adstringit uxorem ad sequendum virum. Conf. quia; ut ex l. fin. §. item 3. ff. ad municipal. & l. un. C. de mulier. in quo loco &c. sumitur, mulier domicilium mariti sequitur.

Sed respondendum est distinguendo: Vel enim maritus à loco convento contra fidem datam discedit injustè, vel justè, ob supervenientem novam recedendi causam; quia v. g. aëris intemperies sanitati ejus affert periculum, vel quia ob capitales inimicitias in illo loco securè commorari non potest &c. Si primum, virum ita recedentem sequi non tenetur uxor; imò ille ab ista vindicari, aut recuperandæ possessionis remedijs repeti, & compelli potest, ut revertatur ad uxorem c. intelleximus 1. de ord. cognit. c. ex transmissa 8. & c. ex conquestione 16. de restit. Spoiliat. Gutier. c. 23. de Matr. n. 18. Sanch. l. 1. de Matr. D. 40. n. 6. Pal. tr. 28. D. 1. p. 15. §. 2. n. 5. Wiest. hic n. 5. Ratio est; quia discessu suo uxori injuriam intulit, eamque spoliavit. Si secundum, tenetur uxor ipsum sequi in ijs casibus, in quibus secluso pacto tenebatur; quia cum tunc pactum non adstringat, perinde judicandum est, ac si pactum non esset. Proceditque hoc, etsi pactum tale fuisset confirmatum Juramento partium; quia hoc, cum sit accessorium pacto, induit conditiones pacti, cui adjicitur. habet autem pactum non recedendi à certo loco imbitam hanc conditionem, Nisi nova recedendi causa supervenerit, ergo &c. Tiraquell. leg. cit. n. 17. Sanch. n. 5. & 6. Pal. n. 9. Wiest. n. 67.

Neque obstat Argumentum Calderini, & ejus confirmatio; quia Lex Divina, & Civiles cit. solum procedunt, quando nullus locus habitationis certus in conditionem Contractus venit.

Dub. 2. an Maritus tali casu, quo certus locus in pactum deductus est, satisfaciatur obligationi suæ solvendo uxori interessè? Affirmat Covar. p. 2. de Sponsal. c. 7. pr. n. 6. Gomez tom. 2. var. c. 10. n. 24. Gutier. c. 23. de Matr. n. 16. Moventur ex eo, quod promittens factum, si solvat, quod interest, ab obligatione liberetur l. in stipulationibus 54. & l. stipulationes 72. §. Celsus ff. de V. O. & alijs textibus. Sed si Argumentum hoc, & Leges cit. aliquid probant, hoc solum probant, tunc solum satisfieri solvendo interessè, quando pacifcentis non interest ip-



ipsum factum præstari; focus dicendum, si ejusdem referat, ut refert uxoris, ne maritus ex loco pacto discedat, cum fortè omnibus divitijs habitationem mariti eo in loco præferat. Dicendum igitur in casu dubij non satisfieri præstando interesse. Ita Pont. l. 12. de Sponsal. c. 20. n. 7. Pal. §. 2. cit. n. 8.

**125** Dub. 3. an vicissim valeat, & licitum sit pactum, ut vir in certo loco non moretur, eumque non ingrediatur? Negant Ancharan. cons. 75. n. 3. Alciat. l. 5. cons. 34. n. 3. & ratio negandi esse potest; tum quia hoc pactum videtur Reipublicæ obesse, cui expedit liberis hominibus abundare l. fin. C. de indich. viduit. tum quia est quædam poena, ad quam nemo, nisi per sententiam, obligari potest. Sed melius affirmant Gamma decis. 63. Pont. l. 12. de Matr. c. 20. n. 9. Pal. §. 2. cit. n. 12. Perez D. 7. sect. 3. n. 4. Ratio est; quia ejusmodi pactum neque Juri publico, neque naturæ conjugij, neque bonis moribus adverfatur: quin certi loci vitatio privatim, & publicè quoque utilis esse potest, cum sic excludi possit periculum perturbationis Reip. diffidorum, aliorumque incommoedorum, quæ ex commoratione, vel ingressu in talem locum timeri possent. Ad Argumentum Contrarium imprimis Reip. nunquam expedit abundare hominibus liberis, qui perturbare pacem illius possent; deinde hæc privatio non est poena propriè, quia spontè assumpta, non contra voluntatem inflicta est.

**126** Quæritur 2. quid sint Arrhæ? Arrharum nomine veniunt, quæ Sponsæ à Sponso, aut vicissim huic ab illa in contractuum Sponsalium signum, & Matrimonij contrahendi pignus dantur, ita, ut si nuptiæ fuerint secutæ, repeti possint; si verò secutum non sit Matrimonium, injustè resiliens suas amittat, & si quas ipse accepit, duplicatas, h. e. acceptas, & alterum tantum, sive acceptarum æstimationem teneatur reddere l. arrhis 3. §. l. mulier 5. C. b. tit.

Excipitur 1. si aliud receptum sit consuetudine: vel obtineat alio Jure speciali. Et ita Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 8. V. quinimò, Pirh. hic n. 25. König n. 8. Reifenshuell n. 180. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 4. n. 35. testantur, ex consuetudine Arrhas inter Sponsalicias donationes numerari, ita ut nuptijs etiam secutis, repeti nequeant, sed earum contractu confumentur.

**127** Excipitur 2. si is, qui voluntate mutata, renuntiavit Sponsalibus, sit minor 25. annis, & veniam ætatis non impetrarit; iste enim arrhas datas non perdit, & si eas accepit ipse, acceptas duntaxat restituit, non verò præstat alterum tantum, ut habetur l. mulier cit. & docet Sanch. l. 1. de Matr.

D. 36. n. 8. Pal. tr. 28. D. 1. p. 12. §. 2. n. 1. Perez in C. b. tit. n. 15. Brunnem. in l. mulier. cit. n. 2. Gonzal. in c. Gemma 29. hic n. 3. Pirh. n. 25. König n. 9. Magnif. P. Schmier l. cit. n. 40.

Excipitur 3. si pater Sponsæ arrhas tradidit Sponso, & ipse filiam ad Sponsalia implenda omni studio est conatus inducere; tum enim, etsi ista resiliat à Sponsalibus, pater tamen arrhas datas non perdit, sed hæ eidem restituendæ sunt. Socin. vol. 1. cons. 3. n. 9. Sanch. l. cit. n. 13. Pal. n. 1. cit. fin. Perez D. 8. sect. 2. n. 9. Conink D. 22. dub. 3. n. 17. Wiest, hic n. 74. Magnif. P. Schmier l. cit. n. 43. Ratio est; quia arrharum amissio habet rationem poenæ, quæ punitur violatio fidei Sponsalibus datæ. atqui tali casu pater fidem datam non violavit, nec ejus à filia violatæ causa extitit, igitur cum omnis poena secundum illud August. l. 1. retrah. c. 9. si justa est, peccati poena sit, in hoc casu pater arrhas, pro filia Sponso datas, non amittet.

Dub. 1. quomodo arrhæ differant à pœnis, quæ Sponsalibus nonnunquam adijci solent? duplex communiter afferri discrimen. Unum est; quia, ut id, quod in signum Sponsalium, & futuri Matrimonij pignus offertur, Arrha reputetur, necesse est, ut sit traditum; nam si Arrhæ promissæ solum, non traditæ sint, potius habent rationem poenæ. Gloss. in c. accedens 10. V. libera de procurat. Bartol. in l. Titia 134. ff. de V. O. n. 6. Abb. in c. 29. b. tit. n. 8. Brunell. de Sponsal. concl. 16. n. 3. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 8. §. 7. n. 7. Sanch. l. 1. de Matr. D. 35. n. 3. Pal. tr. 28. D. 1. p. 12. §. 1. n. 2. Wiest, hic n. 72. & sumitur ex l. mulier 5. C. b. tit. quæ passim utitur verbo *acceperit arrhas*, quod traditionem denotat.

Alterum est; quia licet per se Arrhæ in quavis quantitate, nec in pecunia numerata solum, sed etiam in fundis concedi possint, ut rectè alijs cit. advertit Pal. §. 1. cit. n. 5. §. 6. quia tamen ex dispositione Legali, & non nisi cum magna animi deliberatione traduntur, plerumque in exigua quantitate traduntur; poena autem, quia solum promittitur, facillè, incautéque, & plerumque in majori, sæpe etiam in magna quantitate offertur, cum ad promittendum proniores, quàm ad dandum firmus arg. l. sed si ego 4. in fin. ff. ad S. C. Vellejan. Hinc fit, quod poena Sponsalibus adjecta regulariter plus officiat Matrimoniorum libertati, quàm Arrhæ, ut in c. Gemma cit. notant Joan. Andr. n. 9. Abb. n. 8. Canif. n. 5.

Dub. 2. an utrinque Arrhæ pignoratitè constitui possint? Negant Bartol. in l. Titia n. 9. ff. de V. O. Abbas in c. Gemma n. 8. Alex. de Nevo n. 25. Præpos. n. 10. Rosell. V. Sponsalia n. 7. Angel. n. 13. Sylv. D 3 9. 21



q. 9. dicit. 3. Brunell. de Sponsal. concl. 26. n. 3. & communiter alij teste Sanch. l. 1. de Matr. D. 35. n. 13. ex ratione, quod re- videatur nihil dari arg. l. qui sic 55. ff. de Solution. ibi, Non alienantur nummi, qui jcdantur, ut recipiantur.

Sed probabilius est Arrhas posse utrinque constitui. Ita Covar. p. 2. c. 3. §. 7. §. 8. Sanch. D. 35. cit. n. 14. Gui. r. c. 18. de Matr. n. 8. Pont. l. 12. c. 19. pr. Pal. tr. 28. D. 1. p. 12. §. 1. n. 9. & alij apud istos. Ratio est; tum quia Leges mutuum Arrharum traditionem non reprobant; tum quia hæc mutua Arrharum traditio utilis est, siquidem violans fidem perdit Arrhas datas, & restituit acceptas, alio recuperante datas, & retinente acceptas. Procedique hoc, etiam si data, & accepta sint ejusdem naturæ, & quantitatis; nam hoc probat ratio allata.

Neque obstat l. qui sic cit. quia hæc solum procedit, quando dans aliquid tantundem recipit absque obligatione reddendi illud; vel quando datur aliquid eo pacto, ut in continenti reddatur.

¶ 32 Dub. 3. an pactio Arrharum traditioni adjecta, ut à Sponsalibus injustè resiliens duplicatas, aut quadruplicatas reddat, locum etiam habeat de Jure Canonico? Ratio dubitandi est, quia dupli, & quadrupli redditio habet rationem poenæ. hæc autem à Sponsalibus rejicitur; quia Matrimonij libertatem infringit, ut patet ex c. Gemma 29. b. t.

Sed meliùs affirmativam defendunt Hofst. in c. cit. fin. Joan. Andr. ibid. n. 7. Alex. de Nevo n. 21. Sylv. V. Sponsalia q. 9. dicit. 4. Sanch. l. 1. de Matr. D. 36. n. 11. Gutier. c. 18. de Matr. n. 17. Conirk D. 22. dub. 3. n. 14. Pont. l. 12. c. 19. n. 2. Pal. tr. 28. D. 1. p. 12. §. 2. n. 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 8. §. confirmatur. Engl. hic §. 2. n. 7. Wiest. n. 74. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 4. n. 41. Ratio est; quia Leges cit. quæ dupli, & quadrupli poenam permittunt, Jure Canonico correctæ non sunt, igitur etiam de hoc Jure locum habet talis adjecta pactio. Conf. quia si poena dupli, aut quadrupli de Jure Canonico locum non haberet, ideo non haberet, quia libertatem læderet. non autem lædit istam; quia plerumque, ut n. 130. dictum est, in exigua quantitate traduntur. ergo &c.

¶ 33 Neque obstat Ratio dubitandi; nam, ut infra 140. dicitur, c. Gemma cit. tantum rejiciuntur illæ poenæ, quæ solvendæ essent etiam justè resilienti. Quodsi contendas, ut quidam volunt, omne genus poenæ ibidem rejici à Sponsalibus, disparitas erit inter Arrhas, & poenas; nam poenæ, ut paulò antea dictum est, cum non tradantur, in magna quantitate promitti solent; Arrhæ verò, quia traduntur, non nisi in exigua,

quæ cum facillè contemnatur, periculum has perdendi Matrimoniorum libertati non oberit. Certè quòd l. mulier cit. mens non fuerit, auctione ad quadruplum facta libertatem minuere, sufficienter colligitur ex eo, quòd ultra quadruplum augeri venterit, ratione addita, quòd in contrahendis Nuptijs libera potestas esse debeat. igitur auctione ad quadruplum exstimavit non lædi libertatem.

Dub. 4. an dupli, & quadrupli poena à resiliente in conscientia debeatur ante sententiam Judicis? Triplex est Sententia. Prima vult solvendam esse, etiam Judicis Sententiâ non expectatâ: & hæc sententia iterum in duas scinditur; nam Felin. in c. 1. de Constit. n. 46. Decius ibid. lect. 1. n. 73. Paludan. in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. n. 13. volunt solvendam esse ante ipsam partis exactionem. Saltem post exactionem partis solvendam contendunt Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 8. n. 11. Menoch. de arbitr. c. 260. n. 40. Molin. tr. 2. de J. §. J. D. 47. n. 8. Gutier. c. 18. de Matr. n. 19. Nituntur 1. quia cum contrahentes nullam Judicis, aut Judicialis sententiæ mentionem fecerint, procul dubio in id censetur convenisse, ut vel impleantur Sponsalia, vel restituantur Arrhæ ad duplum, vel quadruplum auctæ. 2. Obligatio imposita contractu, & contrahentium libera voluntate urget, etiam si Judicis sententia non accedat, ut patet in Voto poenali, in quo si principalis promissio violata sit, poena illi apposita debetur in conscientia ante omnem sententiam, atqui obligatio solvendi poenam dupli, vel quadrupli est imposita contractu, seu Sponsalium conventionione, ergo &c. 3. Qui à Sponsalibus injustè resilit, ante sententiam restituere tenetur Arrhas, quas accepit, & illas, quas dedit, amittit, ita, ut alter, cui fides servata non est, justè illas retineat. ergo etiam ante sententiam solvenda poena dupli, vel quadrupli; nam si esset aliqua ratio, cur non esset solvenda, esset, quia est poena: est autem etiam poena Arrharum amissiono respectu ejus, qui à Sponsalibus injustè resilit. ergo &c.

Altera sententia vult à resiliente Judicis sententiam expectari posse. Ita Navar. Man. c. 23. n. 67. Sanch. l. 1. de Matr. D. 37. n. 4. Pal. tr. 28. D. 1. §. 2. n. 4. Fundantur & ipsi triplici Argumento. 1. Contrahentes in dubio, qua mente, & intentione apposuerint poenam dupli, vel quadrupli, censentur habuisse illam, quæ conformis est naturæ poenarum impositarum à Jure; quia in dubio actus gestus presumitur secundum naturam illius propriam, ut latè Menoch. l. 6. presumpt. 10. à n. 1. atqui natura poenarum impositarum à Jure est, ut ante sententiam non debeantur. ergo &c. 2. Dupli, vel quadrupli poena multum recedit ab æqualitate servanda in contra-



tractibus; nam qui dedit, si resiliit, solum amittit traditas, is contra, qui traditas accepit, vi ejus restituere non tantum debet, quas accepit, sed insuper eas augere in quadruplum, igitur aequitas videtur postulare, ut ita auctae non debeantur, antequam discutatur, & cognoscatur, an resiliendi causa vere injusta sit, item an poenae multiplicatae Arrhae commensurata sit injustitiae resiliantis, ut si iusta sit major, arbitrio Judicis temperetur, & reducatur ad aequalitatem.

3. In dubio poenarum interpretatio benignior praesertim est rigorosa *l. semper 56. ff. de R. J.* atqui in casu quaestionis saltem est dubium, an poena debeatur ante, vel post sententiam, ergo &c.

136 Tertia sententia est inter utramque priorem media; quia distinctione utitur. Juxta hanc Arrhae, etiam duplicatae, & quadruplicatae debentur ante sententiam, quando, ut ita restituuntur, inter contrahentes expressè convenit; si verò istud in Sponsalium contractu expressum non est, etiam post exactionem partis, ante Judicis sententiam non debentur. Haec sententia probabilior est, eandemque tenet P. Wiestner hic n. 77. Pars prima illius patet ex *Regul. Contractus 25. in 6.* nam *Contractus in Conventione legem accipiunt. Partem alteram*, & non plus probant Argumenta secundae Sententiae.

137 Neque contrarium evincunt Argumenta prima. Ad 1. patet ex Argumentis secundae Sententiae, de mente contrahentium praesumi non debere, quod velint auctorem istam deberi ante sententiam. Ad 2. in poenis Voto adjectis speciale quid est; quia istae ita promissae, & à Deo acceptatae eo ipso intelliguntur, quod plerumque nemo sit, qui pro ijs Dei Supremi omnium Judicis nomine apud Judicem humanum agat, aut agere possit: in ceteris poenis, etiam propria contrahentium voluntate constitutis, si aliud conventum non sit, probabilius par est ratio cum Arrharum auctione, scilicet ut non debeantur ante sententiam. Ad 3. mirum non est, quod is, qui à Sponsalibus resiliit, Arrham acceptam ante omnem sententiam Judicis restituere debeat, cum nullum titulum, & jus eam retinendi habeat. Quod verò Arrham à se datam amittat, & is, cui fides servata non est, justè illam retineat, patet, quia si solummodo fuisset promissa, per viam actionis potuisset exigi; igitur tradita retineri potest, & repetens exceptione repelli; nam qui ad agenda admittitur, est ad excipiendum multo magis admitendus, ut habetur *Reg. 71. in 6.* Nulla similis ratio pugnat in nostro casu, ergo &c.

138 Queritur 3. an Sponsalibus adijci possit poena, ex contrahentium conventionione solvenda à resiliente? Certum est apud omnes, si ita adjecta sit, ut solvi debeat etiam

à justè resiliente, ejus adjectionem nullam, & irritam esse, conf. illam à sic resiliente non solvendam, prout patet ex *c. Gemma 29. h. tit. l. Titia 134. ff. de V. O. & l. mulier 5. fin. C. h. tit.* Proceditque hoc, etiam si poena apposta levis sit; quia Jura indistinctè prohibent poenam in Sponsalibus apponi, & qualibet poena, quantumvis minima, ex se libertatem ad Matrimonium requisitam diminuit. Quod si in aliquo casu ea libertas non minuitur, per accidens est, quod Jura non attendunt, sed ea, quae frequenter contingunt, spectant. Neque refert, an solvenda sit ab ipso resiliente, an ab ejus parentibus, consanguineis, tutoribus &c. quia horum damnum Sponsorum damnum est, Sponsorūque movere potest ad contrahendum. Secus est, si inter extraneos motu proprio apposta poena sit, ob contrariam rationem *Sanch. l. 1. de Sponsal. D. 30. n. 3. §. seqq. Gutier. c. 17. de Matr. à n. 2. Pal. tr. 28. D. 1. p. 9. n. 1.*

Dub. 1. an prohibitio dictae poenae locum habeat in resiliente à Sponsalibus injustè, & perfidè? Negant adijci hoc etiam casu posse poenam solvendam à resiliente *Bartol. in l. Titia cit. Ant. de Butr. in c. Gemma cit. Abb. ibid. n. 9. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 7. n. 5. Sanch. l. 1. D. 30. n. 2. Tann. D. 3. q. 1. n. 44. Carif. in c. Gemma cit. n. 2. Gonzal. ibid. n. 2. Zael. hic n. 82. Pirh. n. 23. Honor. n. 31. Schanbog. n. 32. §. 33. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 2. contr. 2. per totam.* Fundant opinionem hanc suam r. textu. *c. Gemma cit.* ubi Gregorius IX, indistinctè, *Cum libera*, inquit, *Matrimonia esse debeant. Ideo talis stipulatio propter poenae impositionem sit merito improbanda, mandamus, quatenus, si est ita, eundem B. ut ab extorsione praedictae poenae desistat, Ecclesiastica Censura compellat.* 2. *l. mulier 5. & l. Titia cit.* ubi pariter indistinctè reprobat poena adjecta Sponsalibus, ex eadem ratione, quod per eam Matrimoniorum libertas impediatur, aut minuatur. 3. Pactus de restituendis Arrhis ultra quadruplum auctis est irrita, ut patet ex *l. mulier cit. §. que omnia*, & *§. fin.* non alia ex ratione, quam quod ejusmodi auctio libertatem Matrimoniorum tollat, atqui non minus libertati Matrimoniorum officit poena conventionalis adjecta Sponsalibus; quia haec plerumque in majori quantitate concedi solet, quam Arrhae, ergo &c.

Sed etsi sententia haec ob authoritatem DD. qui illam tenent, & momenta Argumentorum relata videatur esse secuta in praxi, ita, ut possit Judex secundum illam procedere, & Confessarius possit absolvere poenitentem, qui talem poenam non vult solvere, & Sponsalia jam per subsequens Matrimonium cum alia contractum evertit, speculativè tamen loquendo probabilius adjectio poenae, ab injustè resiliente



te solvendæ, valet, imponitque obligationem in conscientia, ut injustè resiliens, si pars altera petat eandem solvat. Ita Gottfried. in l. Titia cit. lit. Z. Suar. l. 2. de Juram. c. 23. num. 5. Vafq. Opusc. de testam. c. 3. dub. 2. n. 28. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 8. Pont. l. 12. c. 19. n. 8. Conink D. 22. dub. 5. n. 29. Pal. tr. 28. D. 1. p. 9. n. 3. Perez D. 7. sect. 1. n. 7. Dian. p. 3. tr. 4. ref. 21. Barbof. in c. Gemma cit. n. 10. Rosignol. de Sponsal. pren. 5. sect. 10. n. 3. Haun. tom. 1. de J. & J. tr. 4. n. 364. Gobat. Theol. Exper. tr. 10. n. 172. Engl. hic §. 2. n. 7. Wiest. n. 79. Reiffenst. n. 188. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 3. n. 148.

**841** Ratio est; quia hujusmodi poenæ Sponsalibus adijci nullo Jure prohibentur: non naturali; quia invitatur ad actum honestum, & suppositis Sponsalibus ex Justitia debitum. ad hunc autem sicut cogi aliquis potest à Judice per Censuras, ita etiam poenâ Conventionali sine libertatis diminutione. Non Divino; quia SS. Litteris nusquam cavetur, ne contractui Sponsalicio roborando adijciatur poena. Non denique Ecclesiastico; quia c. Gemma cit. sermo est de apposita poena Sponsalibus à puella septennio minore contractis; hæc autem aut omnino invalida erant ob defectum ætatis, vel talia, ut ab ijs resiliere puella, saltem pubes facta, justè potuerit. ergo &c. Conf. 1. à paritate cum conventione de Arrhis duplicatis, aut quadruplicatis ab injustè resiliente restituendis etiam de Jure Canonico, ut dictum est supra n. 132. licet resiliendi libertatem etiam ipsæ, & aliquando non minus, quam poena infringant. Conf. 2. quia injustè resiliens à Sponsalibus ad fidem servandam compelli potest, & solet Excommunicationis omnium, quas Ecclesia habet, gravissimâ, aliisque poenis Ecclesiasticis. Conf. 3. quia, ut notat Gobat l. cit. à n. 177. antiqua plurium Germaniæ nostræ Diocesum consuetudo, ac praxis est, ut injustè resiliens quandoque ad centum, ducentorum, aut plurium aureorum poenam condemnentur, aut cum adversa parte cogantur inire ejusmodi compositionem. Quodsi hæc omnia Matrimoniorum libertatem non minuunt, eidem etiam non obstabit poena, ab injustè resiliente ex contrahentium conventionem solvenda.

**842** Neque obstant huic nostræ Sententiæ Argumenta opposita. Ad 1. patet ex dictis, c. Gemma cit. reprobari non poenam solvendam à resiliente injustè, sed à resiliente justè. Ad 2. in l. mulier cit. §. fin. agitur de poena Arrharum ultra quadruplum aucta, ut ibi notat Gloss fin. & Haun. l. cit. à n. 369. & l. Titia sermo est de Sponsalibus, à parentibus nomine liberorum, non solum impuberum, sed etiam ignorantium contractis, cujusmodi Sponsalia non solum

obnoxia sunt liberæ renuntiationi liberorum, sed etiam omnino irrita arg. l. filios. 13. ff. b. tit. & l. nuptie 2. ff. de rit. nupt. Et esto, Legibus cit. rejici poenam Sponsalibus adjectam, etiam ab eo, qui injustè resilit, exsolvendam, imprimis Leges illæ videntur abrogatæ à Leone Imp. Novell. 18. ubi poenarum appositio difertè permittitur, ut patet ex Rubricæ verbis, Ut in Sponsalibus constituta poena exigatur. Deinde prohibitio istarum Legum tantum procedit de antiquo Jure Romanorum, quo licebat resiliere non tantum à Sponsalibus, sed etiam à Matrimonio legitime contracto, & consummato, modò resiliens, vel divertens poenam Legibus statutam subire vellet, videlicet Arrharum, dotis, aut donationis propter nuptias amissionem l. alij 1. b. tit. l. neque ab initio 14. C. de Nupt. l. divortium 2. §. c. ff. de divort. Aliter seres habet in Lege Christiana, ubi Contractus Sponsalitiæ Matrimonij ineundi obligationem parit: à quacumque neuter contrahentium altero invito absque justa causa sine peccato resiliere valeat, non inutiliter videntur adijci poenæ, ut sic temere resiliens non tam libertas, quam temeritas restringatur. Ad 3. imprimis causa prohibendi auctiorem Arrharum ultra quadruplum potissima fuit, quòd ejusmodi augmentum nimiam induceret inæqualitatem inter Sponsos, cum licet utriusque sine causa resiliens temeritas æqualis sit, non tamen æqualis jactura; nam is, qui Arrham dedit, Arrham duntaxat simplicem amitteret, cum tamen ille, qui accepit, si recedat, ad quantitatis ultra quadruplum auctæ restitutionem adstringeretur. Accedit, quia si poena conventionalis permessa sit, jam satis occurrit temeritati resiliens sine causa, ut proinde nulla necessitas, vel utilitas suadeat recessum ab Arrham Legibus.

Dub. 2. an validum sit Juramentum de poena solvenda casu, quo quis resiliens à Sponsalibus? R. hic distinguendum est secundum doctrinam Dub. præc. traditam, inter poenam solvendam à resiliente injustè, & inter illam, quam solvere deberet etiam justè resiliens. Si Juramentum addatur conventioni, quâ inter Sponsos conventum est de poena solvenda à resiliente injustè, Juramentum hoc validum est; ac proinde resiliens injustè eo casu ad illam solvendam obligabitur, non tantum ex virtute fidelitatis, & justitiæ, sed etiam Religionis, ut rectè Suar. l. 2. de Juram. c. 23. n. 5. Perez D. 7. sect. 1. n. 6. Wiest. hic n. 88. imò ipse Molin. tr. 2. de J. & J. D. 151. n. 12. quamvis promissionem poenæ simplicem velit irritam esse. Ratio est; quia, ut ex resolutione Dubij præcedentis patet, Juramentum istud est de re nullo Jure prohibita.

Quodsi autem Juramentum sit de poena solvenda etiam justè resiliens, non pau-



pauci existimant etiam hoc casu illud validum esse: qui tamen non omnes ejusdem sententiae sunt; nam aliqui relati à Sanch. l. 1. D. 32. n. 20. quos sequitur Conink D. 22. dub. 5. n. 25. putant Juramentum tale firmare simul contractum, ita, ut resiliens non solum ex virtute Religionis, sed etiam Justitiae teneatur poenam promissam solvere.

*Nituntur* triplici fundamento. 1. quia promissio poenae hoc casu non videtur primario prohibita ob bonum publicum, sed ob bonum privatum, ne resiliens poenae solutione ductus matrimonium minus liberè contrahat, at quoties ob bonum privatum primario prohibetur actus, juramento firmari potest secundum dicta *Libr. 2. Tit. 24. à. n. 35.* 2. haec promissio solvendi poenam, esto, sit contra bonos mores Civiles, non tamen est contra bonos mores naturales; non enim Jure naturae prohibita est, ergo firmari Juramento potest. 3. promissio solvendi pecuniam ludo vetito amissam irrita est Jure positivo, & tamen Juramento firmatur; quia nullam turpitudinem continet, ergo similiter firmari poterit promissio poenae Sponsalibus appositae.

445 Contra alij cum Alex. de Nevo in c. *Gemma 29. h. tit. n. 10.* volunt hoc Juramento induci solum obligationem Religionis, non autem firmari contractum cum obligatione Justitiae. *Rationem dant;* quia solutio talis poenae nullo Jure prohibita est, licet prohibita sit ejus promissio, igitur valebit Juramentum de ea solvenda; nam Juramentum, quando non est de re illicita, valet. *Conf. 1.* Juramentum de Usuris solvendis Usurario obligat, ergo etiam Juramentum de poena solvenda etiam justè resiliens. *Conf. 2.* licet, qui pecuniam promissit Assassino, ut hic alterum occidat, gravissimè peccarit Juramentum tamen promissioni adjectum de pecunia illa solvenda valet, & post patratum scelus obligat ad solutionem praestandam, igitur etiam in nostro casu obligabit ad poenam solvendam.

446 Sed melius contra utrosque Suar. n. 5. cit. Sanch. n. 21. Gomez tom. 2. var. c. 14. n. 24. Gutier. c. 17. de Matr. n. 21. Pont. l. 12. c. 19. n. 7. Pal. tr. 28. D. 1. p. 9. n. 6. Wiest. hic n. 89. & alij apud istos docent Juramentum de poena solvenda etiam ab justè resiliens non solum non firmare promissionem aliàs invalidam, sed omnino invalidum esse, & neque obligationem Religionis inducere. *Ratio est;* quia Jus interdicens promissionem poenae interdicat non tam promissionem, quam solutionem illius, quippe cum ratio prohibitionis, sc. libertatis ad Matrimonium requisitae diminutio procedat non tam de poena promissa, quam de illa soluta.

447 Neque contrarium probant Argumenta primae sententiae. *Ad 1.* talis promissio interdicatur ob utilitatem publicam, nam ra-

tio prohibitionis est libertas Matrimoniorum, atqui maximè Reip. interest libera esse Matrimonia; ex coactis enim jurgia, dissensiones, mala liberorum educatio, & alij pessimi exitus consequuntur. *Ad 2.* imprimis promissio haec, cum bono publico, ut mox ostensum est, praedjudicialis sit, merito dici potest etiam pugnare contra bonos mores naturales. Deinde esto, quod sit tantum contra bonos mores civiles, adhuc tamen Juramento firmari non poterit; nam Juramento non firmatur promissio, quae in praedjudicium boni publici cedit, ut dictum est *Libr. 2. Tit. 24. n. 90.* *Ad 3.* Ludi hujusmodi prohibentur ob utilitatem publicam, igitur ex modò dictis promissio solvendi pecuniam per tales ludos amissam firmari Juramento non poterit, sed potius ipsum Juramentum erit invalidum.

*Ad Argumentum secundae sententiae* illud prohibitorum censi hoc casu debet, quod Matrimoniorum libertatem diminuit, atqui libertatem istorum non tam promissio poenae, quam ejus solutio, seu obligatio solvendi diminuit, igitur Juramentum eam obligationem non potest inducere, cum sit de re prohibita, & illicita. *Ad Conf. 1.* disparitas est; quia poenae promissio irritata est ob favorem publicum, ob quam irritatis promissionibus adjecta Juramenta etiam ipsa sunt irrita. *Ad Conf. 2.* Promissio pecuniae ob homicidium patratum non per se, sed ex accidenti, sc. ex motione ad peccatum iniqua est; ac proinde sublata iniquitate, obligat ad sui executionem.

Dub. 3. an valeat poena improprie dicta adjecta Sponsalibus, quae solum consistit in lucro amittendo, aut non acquirendo? *R.* vel ejusmodi poena additur ab ipsis contrahentibus, vel ab alijs. *Si ab ipsis contrahentibus,* e. g. Titius dicat Berthae: *promitto tibi 100. aureos, si mecum Matrimonium interis,* talis promissio irrita est secundum praesumptionem fori externi; quia praesumitur facta affectu libidinis, & ob eam causam reprobatur l. *si ita stipulatus 97. §. si tibi 2. ff. de V. O.* Excipitur, si praesumptio turpitudinis cesset, ut si nomine Dotis, aut Donationis propter Nuptias aliquid promissum videatur; tunc enim valebit talis promissio, ut rectè advertit Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 9. Pal. tr. 28. D. 1. p. 10. n. 2. *§. 3.* Honor. hic n. 32.

Si verò ejusmodi poena improprie dicta adjecta sit ab alijs e. g. si Testator leget aliquid Berthae, *Si Titio nupsit,* cui si nolit nubere, Legatum ipsa non acquirat, ejusmodi poenae adjectio non est irrita; quia non est verè poena, sed potius invitatio ad certum Matrimonium, & liberalis promissio, seu donatio sub conditione futurarum Nuptiarum, cum non agatur de poena damni, cujus metu quis posset induci ad Matrimonium contrahendum contra voluntatem,

E

tem,



tem, sed solum de non acquirendo lucro, per quod allicitur quis ad Matrimonium, ut colligitur ex l. Titio 71. §. Titio centum 1. ff. de Condit. & demonstr. ibi, Aliud est enim eligendi Matrimonij pœne metu liberta-

tem auferri, aliud ad Matrimonium certa lege invitari. Sanch. l. 1. de Matr. D. 33. n. 6. Laym. n. 9. cit. Pal. n. 4. Pith. hic n. 24. Schamb. n. 34. & alij apud istos,

## §. IV.

## De Dissolutione Sponsalium.

## S U M M A R I U M.

151. 152. 153. 154. Modi, & cause diverse, ex quibus solvi possunt Sponsalia.
155. 156. 157. An, & quando à puberibus contracta solvi possunt mutuo horum consensu?
158. Utrum etiam jurata?
159. 160. 161. Presertim quando Juramentum principaliter presitum est in honorem Dei?
162. Quomodo per fornicationem cum alio solvantur Sponsalia?
163. 164. An solum Sponso ob fornicationem Sponse, an verò etiam Sponse ob fornicationem Sponsi à Sponsalibus resiliere liceat?
165. An, & cui resiliere liceat, quando utroque fornicationem commisit? Prima Sententia.
166. Secunda.
167. Tertia, quæ approbatur.
168. 169. Solvuntur Argumenta contraria.
170. Utrum à Sponsalibus resiliere liceat ob copulam carnalem vi extortam?
171. 172. 173. Respondetur distinguendo.
174. Diluuntur Argumenta partis adversæ.
175. An sufficiens causa resiliendi à Sponsalibus sit fornicatio commissæ ante Sponsalia, sed ignorata?
176. Respondetur id non sufficere, si Sponsus eam commiserit.
177. Sufficere autem, si eam commisit Sponsa.
178. Quid sentiendum de eo, qui Sponsalia contraxit cum Vidua honesta, quam putavit esse Virginem?
179. Solvuntur Objectiones.
180. 181. An sufficientem causam resiliendi præbeant tactus impudici, post Sponsalia contracta admissi?
182. 183. 184. Quenam, & qualis probatio supri, seu fornicationis requiratur ad hoc, ut ob eam Sponsalia resolvi possint?
185. 186. 187. An justam resiliendi causam præbeat notabilis mutatio?
188. Quomodo ista probari debeat?
189. Triplex illa est, quarum una se tenet ex parte corporis.
190. Altera ex parte animi.
191. Tertia Bona fortuna spectat.
192. An si Sponsorum alteri post contracta Sponsalia superveniant insperata divitie, nobilitas, dignitas &c. iste à Sponsalibus resiliere de Jure possit?
193. An resiliere Sponsus adhuc possit, qui post detectam notabilem circumstantiam carnaliter Sponsam cognovit?
194. 195. An, & quando Sponsalia dissolvantur lapsu termini, Matrimonio incundo præjxi?
196. 197. Quando censeatur tempus adjectum implendæ obligationi Sponsalium, quando illi finiendæ?
198. An casu, quo finiendæ obligationi adjectum est, & alteri impedimentum incidit, ille, qui paratus est ad nuptias celebrandas, lapsu illo tempore, deobligetur?
199. Respondetur affirmativè.
200. Solvuntur Rationes dubitandi.
201. 202. Quando discessus Sponsi, vel Sponse in terras remotas præbeat alteri justam causam resiliendi à Sponsalibus?
203. 204. 205. Quousque reditum illius alter expectare debeat?
206. 207. 208. 209. Quid in praxi observandum, ne absentie pretextu Sponsalia susque deque habeantur?
210. Utrum Sponsalia dissolvantur ob superveniens Juris impedimentum?
211. 212. 213. An is, qui culpâ, suâ tale impedimentum posuit, teneatur ad petendam dispensationem?
214. An, & qua ratione Sponsalia solvi possint Dispensatione?
215. 216. 217. An ad dissolvenda Sponsalia ob hæcenus allatas causas opus sit sententiâ, & auctoritate Judicis?
218. 219. 220. Quomodo de ejusmodi causa constare debeat, ut recessus à Sponsalibus permissus sit Sponsis?

151 Sponsalia, quamvis ad Sacramentum Matrimonij via sint, pactionis tamen, & contractûs humani limites vix excedunt. Hinc, ut alij contractus, ita & ipsa dissolvi possunt: & hoc non tantum morte naturali alterutrius Sponsorum, quæ etiam

est vinculi Matrimonialis solutio, sed etiam utroque superbite. Causæ autem complures sunt; nam

I. Si ab impubere contracta sint, solvuntur solo ejusdem, pubertatem adepti, dissensu c. de illis 7. de desponsat. impub. Ex-

cipi-



cipitur, nisi fortè Sponsalia Juramento confirmata essent; nam eo casu etiam alterius diffensus requiritur *c. ex litteris 10. b. tit. Vallens. hic §. 4. n. 1. §. dixi.*

2. Si contracta sint inter puberes, vinculum eorum solvit consensus contrahentium mutuus *c. prætera 2. b. tit.* quia generaliter omnis res, per quasunque causas nascitur, per easdem dissolvitur *c. omnis 1. de R. J. & l. nihil 35. ff. cod. Conf.* quia quisque potest remittere, quod suâ interest, ac jure suo cedere, quamdiu non resultat vinculum indissolubile, prout resultat in Matrimonio validè contracto.

3. Solvuntur susceptione Ordinis Sacri; quia isto initiatus ob Votum Castitatis solenne ipsi annexum ad Matrimonium validè ineundum inhabilis redditur *c. de Diacono 1. & c. seq. qui Cleric. vel vovent.* proinde Sponsalia de futuro antea contracta non amplius possunt obligare; obligarent enim ad impossibile.

4. Professione Religionis à Sede Apostolica approbatæ; quia cum hæc solvat ipsum Matrimonium ratum *c. ex publico 7. de convers. conjugat.* longè magis solvet Sponsalia de futuro, quæ minus arctum inducunt vinculum.

5. Votis Simplicibus, in Societate JESU post biennium Novitiatus edi solitis; nam & istis vovens verè Religiosus, & inhabilis fit ad Matrimonium contrahendum *ex Constit. Gregor. XIII. incipit, Ascendente edita, 8. Calend. Junij 1584.*

6. Si unus Sponsorum contrahat Sponsalia de præsentibus cum alia validè *c. si inter 31. b. tit. & c. duobus 1. de Spons. duor.* quia Sponsalia de præsentibus, seu Matrimonium sunt vinculum fortius; adeoque dirimit Sponsalia de futuro, quæ sunt vinculum minus forte.

7. Fornicatione carnali alterius Sponsi *c. quemadmodum 25. de Jurejur.* quia Sponsus sub conditione Matrimonium promississe censetur, si & alter contra Sponsalium fidem non egerit; nam alioquin fidem frangenti fides servanda non est. Item quæcunque causa ad divortium sufficit, ea multò magis sufficit ad Sponsalia solvenda. Sufficit autem fornicatio conjugis ad faciendum divortium, ergo &c.

8. Sponsorum altero lapsio in fornicationem Spiritualem, sive Hæresin, aut Apostasiam *arg. c. fin. de convers. conjugat. & c. questvit 2. de divort.* secundum quos textus ejusmodi fornicatio justam causam præbet divortio conjugum, igitur etiam dissolutioni Sponsalium. Accedit; quia hoc casu fit notabilis mutatio, ut adeo obligatio Sponsalium videatur cessare, cum non censeferi possint obligare cum periculo salutis, & tanto incommodo, quod fideli immineret ex hujusmodi Matrimonio, ut taceam pro-

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

brum, & infamiam, quæ ex præfidia confortis etiam in innocentem redundant.

9. Superveniente, vel postea primùm cognita notabili circumstantia ex parte alterius Sponsi, qui illum deteriore, & Matrimonij contractum notabiliter difficiliorem reddat, ut colligitur ex *c. quemadmodum cit.*

10. Deficiente, vel non impleta conditione, sub qua Sponsalia fuerunt inita; quia eo casu deficit consensus, cum hic relatus sit in eventum conditionis *c. de illis 3. de condit. apposit.*

11. Lapsu termini Matrimonio ineundo præfixi, si hic, ut *infra n. 195.* dicitur, statutus sit finiendæ obligationi *c. sicut te 22. b. tit.*

12. Discessu Sponsi in remotas terras, Sponsâ inficiâ, aut invitâ secundum communem sententiam Interpp. *in c. de illis 5. b. tit.*

13. Legitima dispensatione Superioris, nempe Summi Pontificis.

Ex his aliqua examinabuntur sub proprijs Titulis: cætera, quæ proprium locum non habent, hic discutientur.

Quæritur 1. an, & quando dissolvi mutuo consensu Sponsalia à puberibus contracta possint? *Et 1. quidem dubitatur, an licet sic dissolvantur? Ratio dubitandi sumitur ex c. prætera 2. b. tit.* ubi Innocentius, vel potius Alexander III. ut observat *ibid.* Gonzal. *n. 1.* dicit, Sponsos, qui de Matrimonio contrahendo purè, & sine omni conditione fidem dederunt, commonendos, & modis omnibus inducendos, ut præstitam fidem servent; si autem se ad invicem admittere noluerint, ne fortè deterius inde contingat - - - hoc posse in patientia tolerari: quibus verbis aperte videtur indicari, hanc Sponsalium dissolutionem permissi solum, tanquam malum è duobus minùs; cons. ipso Jure fieri non posse. Et ita sentiunt Gloss. *ibid. V. in patientia tolerari*, Joan. Andr. *in c. de illis 5. b. tit. n. 1. in fin.* Lancellot. *Instit. Jur. Canon. l. 2. de Sponsal. V. tolerari.*

Sed respondendum est distinguendo: Vel enim nulla rationabili causa luadente, ex mera animi levitate, vel ex ira subito ortâ, aut alia animi passione Sponsalibus renuntiant Sponsi mutuo, vel justâ aliquâ causa urgente. Si primum dissolutio culpâ non vacat, ut rectè Perez *D. 9. de Matr. sect. 1. n. 5.* Gobat. *Theol. Exper. tr. 10. n. 242.* Wiest. *hic n. 94.* Si secundum, mutuo consensu Sponsalia licet dissolvi possunt; quod enim solo consensu contractum est, contrario dissensu iterum dissolvi potest, cum nihil tam naturale sit, quàm eo genere quidve dissolvere, quo colligatum est, ut ait Ulpianus *l. nihil 35. ff. de R. J.* Ubi tamen sunt tria observanda. Unum est, ut consensus in dissolutionem ex utraque parte sit liber, non metu, aut precibus importunis

E 2

ex-



extortus; nam remissio, quæ ab invito extorqueretur, minimè ab obligatione liberat. Sanch. l. 1. de Matr. D. 52. n. 3. Pal. tr. 28. D. 1. p. 17. n. 2. Alterum, ut remissio ista sit mutua; aliàs tantum illa pars liberabitur, cui facta est remissio, & non ea, quæ remisit jus sibi quæsitum. Pal. loc. cit. Tertium, ut sufficienter sit nota partibus, & acceptata utrinque. Pont. l. 12. de Sponsal. c. 9. n. 1.

157 Neque obstat c. præterea cit. quia ibi Pontifex non negat, quod Sponsi à Sponsalibus inter se contractis ex causa rationabili mutuo consensu resilire possint; imò id Jure permissum apertè insinuat, dum ea comparat contractui Societatis, quam mutuo consensu dissolvi posse omnes concedunt. Cæterum quòd addat monendos esse Sponsos, ut fidem datam servent, id ideo factum credi potest, quia, si dissolutio fiat sine justa causa, culpà non vacat; si verò hoc Sponsi justa ex causa quidem, sed publicè ignota faciant, instantiæ notam dant, & aliquando etiam offensionis vulgi, quod hujusmodi recessum à Sponsalibus, præsertim juratis, aliquando apprehendit, tanquam violationem fidei, & Juramenti. Et hinc plurium Germaniæ nostræ Diocesium praxis est, ut dissolutio Sponsalium, si hæc coram Parocho, & testibus celebrata, vel aliunde publicè nota sint, non permittatur Sponsis, nisi causâ prius ad Ordinarium delatâ, & ab hoc approbatâ, ut testis est Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 1. fin. Gobat. tr. 10. cit. n. 260. § 264. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 1. §. 7. n. 8. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 9. § 10. Pirh. hic n. 43. Wiestner n. 95. Imò in Diocesi Constantiensi sub casu reservato prohibitum esse, ne publicorum Sponsalium dissolutio propria autoritate fiat, perhibet Gobat. l. cit. n. 262. Dici etiam potest cum Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 1. §. mibi Pontificem in textu cit. solum loqui de casu, quo unus Sponsorum v. g. mulier cupiat sibi fidem servari, sed vir omnibus modis renuat, cupiatque Sponsalium obligationem sibi remitti, quia abhorret à muliere; tunc enim sanè est commonendus, & omnibus modis inducendus, ut præstitam fidem observet; si autem bonus exitus non speretur, toleranda erit remissio, & dissolutio, quæ ex parte mulieris fit non mera voluntate, sed admixto involuntario; idque non sine peccato viri, quod tamen permittitur non approbando, sed tolerando, ut majora incommoda evitentur.

158 Dub. 2. utrum ita remitti mutuo contrahentium consensu possint Sponsalia etiam jurata? Et quidem, si Juramentum illud in partis favorem præstitum sit, conveniunt satis DD. mutuo consensu illa remitti posse. Ita enim expressè Abb. in c. a. b. tit. n. 3. Covar. p. 1. de Sponsal. c. 5.

n. 1. Sanch. de Matr. l. 1. D. 52. n. 6. Gutier. c. 24. de Matr. n. 1. Conink D. 23. dub. 1. n. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 1. §. addi, Pal. tr. 28. D. 1. p. 17. n. 4. Gobat. Theol. Exper. tr. 10. n. 240. § 297. Sporer de Matr. n. 196. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 1. §. 7. n. 6. Vallens. hic §. 4. n. 1. Zoel. n. 25. Engl. §. 3. n. 2. Pirh. n. 40. König n. 60. Schamb. n. 59. Wiest. n. 93. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 2. Ratio est; quia Juramentum sequitur naturam, & conditiones actus, cui adjectum est arg. Reg. accessorium 42. in 6. igitur sicut simplex promissio Matrimonij, ita & jurata mutuo consensu dissolvi potest. Imo omni Juramento, quod in favorem, sive bonum, & utilitatem hominis præstitum est, inest tacita hæc conditio, Nisi ab isto remittatur.

Controversia moveri potest de casu, 159 quo Juramentum principaliter in honorem DEI est præstitum, ut si intuitu pietatis quispiam juret puellæ pauperi, se eam in uxorem ducturum. Negat eo casu Sponsalia sic jurata dissolvi posse Abb. in c. 2. cit. fin. Alex. de Nevo ibid. n. 28. Sylv. P. Sponsal. q. 10. cas. 1. Sot. l. 8. de Just. q. 1. art. 9. ad 2. & alij apud Sanch. l. cit. n. 7. Et probari videtur 1. ex doctrina S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 2. ubi ait eum, cui aliquid promittitur intuitu pietatis, non posse remittere. 2. Juramentum, factum DEO intuitu pietatis, æquivaleret Voto, ut tradunt omnes, in Voto autem nihil potest persona privata, cum soli DEO jus acquiratur. 3. id Juramentum præstatum DEO, cujus juri alter renuntiare nequit.

Sed dicendum, etiam hoc casu ipsius 160 puellæ, & suo jurantis consensu Sponsalia dissolvi posse. Ita Zabarell. in c. 2. cit. n. 4. Brunell. de Sponsal. concl. 9. n. 2. Sanch. n. 8. Gutier. n. 1. §. §. nedum, Rosignol. de Sponsal. præf. 14. n. 4. Magnif. P. Schmier n. 5. aliique cit. supra. Ratio est; quia hujusmodi Juramentum DEUS non acceptat, nisi in utilitatem partis, scilicet puellæ, quæ cum promissionem non acceptare, & acceptam remittere valeat, etiam tali promissioni, & Juramento ei accessorio inest tacita conditio, Nisi ista Matrimonium respuat, aut ejus promissionem acceptatam remittat. Proceditque hoc, quamvis per copulam sequentem Sponsalia fuerint confirmata, prout à S. Congr. declaratum refert Pignatell. tom. 9. conf. 133. n. 45. cum enim Sponsalia per copulam carnalem post Trid. Concil. non amplius transeant in Matrimonium, majorem vim, aut insolubilitatem non consequuntur, quam antecederent habuerint. Magnif. P. Schmier l. cit. n. 7.

Neque obstat Argumenta contraria. 161 Ad 1. S. Thomas l. cit. prout ex adductis ibi exemplis constat, expressè loquitur de



casu, quo Juramentum, & res promissa non tota redundat, & cedit in utilitatem hominis, cui juratum est, quale est, si quis juret alicui se ingressurum Religionem. *Ad 2.* etiam quando res Voto promissa tota cedit in alterius utilitatem, ut si promittam me Petro pauperi daturum Eleemosynam, obligatio Voti ab isto remitti potest. *Ad 3.* licet Deo per tale Juramentum acquiratur Jus, & huic directè homo renuntiare nequeat, potest tamen indiretè, & consecutivè; nam eo ipso, quod iste cedat jure suo, ut potest, consequenter cessat Jus Dei, quod annexum est Juri hominis.

**165** Quæritur 3. quomodo per fornicationem cum alio solvantur Sponsalia? *¶* solvantur solum ex parte innocentis, ita, ut hic ab obligatione illorum liberetur: non verò ex parte nocentis; nam iste adhuc, si innocens ita velit, obligabitur ad eorum impletionem, ne ex iniquitate sua commodum referat, & innocentium damnum, ac præjudicium generetur. Ita statuitur c. quemadmodum 25. de Jurejur. & docent Sylv. V. Sponsalia q. 10. cas. 7. Brunell. de Sponsal. concl. 3. n. 4. Sot. in 4. dist. 27. q. 2. art. 5. §. septimo dirimuntur. Covar. p. 1. de Sponsal. c. 5. in 2. Sanch. l. 1. de Matr. D. 55. n. 6. Gutier. c. 31. de Matr. n. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 10. Engl. hic §. 3. n. 11. Pirh. n. 60. Schamb. n. 96. König n. 72. Wiest. n. 104.

**169** Dub. 1. An solum Sponso ob fornicationem Sponsæ resiliere à Sponsalibus liceat, an verò etiam Sponsæ, si fornicationem commiserit Sponsus? *Rationem dubitandi facit c. quemadmodum cit.* quod expressè solum loquitur de fornicatione Sponsæ, ut adeo constitutio ejus cap. non videatur ad fornicationem Sponsi extendi posse. *Conf.* quia in fornicatione Sponsæ major est turpitudò.

Sed dicendum, etiam Sponsam innocentem resiliere posse, si fornicationem Sponsus commiserit. Ita Abb. in c. 25. cit. n. 4. Menoch. de arbitr. cas. 455. n. 5. fin. Covar. p. 1. de Sponsal. c. 5. pr. n. 2. Henric. l. 11. c. 14. n. 6. Sanch. l. cit. n. 4. Gutier. n. 1. Laym. n. 10. cit. §. deinde, Conink D. 23. dub. 7. n. 1. Pal. tr. 28. D. 1. p. 25. n. 2. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 108. & alij supra allegati. *Ratio est;* quia quoad hoc mas, & femina ad imparia non judicantur, cum eadem sit utriusque ratio; nam uterq; ob Sponsalium contractum obligatus est suum corpus nemini tradere, sed comparti servare in Matrimonij usum, quam obligationem violat ille, qui fornicatur. *Conf.* à pari; nam propter adulterium non tantum maritus innocens divertere, & divorcium facere ab uxore nocente potest, sed etiam uxor innocens à marito nocente. igitur etiam utriusque hoc licitum erit in Sponsalibus.

*Ad Rationem dubitandi in contrarium* 164 allatam, licet c. cit. expressè loquatur tantum de fornicatione Sponsæ, rationes tamen ibidem allatæ locum habent etiam in fornicatione Sponsi; nam & in promissione Sponsi subintelligi conditio debet, *Si is contra regulam desponsationis non venerit.* *Ad Conf.* turpitudò illa major non obstat; non enim propter turpitudinem delicti tantum, sed magis propter fidem Sponsalium violatam Sponso innocenti divertere à Sponsalibus permissum est. atqui fides Sponsæ data pariter violatur per fornicationem Sponsi. igitur ob hanc etiam sponsa à Sponsalibus potest divertere.

Dub. 2. An, & cui à Sponsalibus resiliere liceat casu, quo uterq; Sponsus fornicationem commisit? *Triples est Sententia.* *Prima* vult eo casu neutri licitum esse recedere. Ita Paludan. in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. n. 17. §. quarto in compensando Bonacin. de Matr. q. 1. p. 3. n. 8. Perez de Matr. D. 9. sect. 16. n. 2. Rosignol. de Sponsal. II. prenot. 9. n. 4. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 116. *¶* *2. sequ.* Fundantur 1. quia quando utrinque concurrat æquale jus, activum, & passivum, inducitur mutua compensatio, etiam in delictis l. si ambo 10. §. quoties 2. & l. fin. ff. de compensat. sed quando Sponsus, & Sponsa fornicantur, ex hoc delicto, utrinque jus æquale activum, & passivum concurrat, nam si Sponsa fornicetur, habet Sponsus jus resiliendi, & si Sponsus, jus resiliendi habet Sponsa, ut dictum est ad Dub. præc. ergo &c. 2. si unus ex Sponsis hoc casu à Sponsalibus posset recedere, tunc ob violatam fidem. atqui dum uterque fornicationem commisit, nullus alteri obijcere potest violatam fidem, cum uterque sit violatæ fidei reus. ergo &c. 3. si uterque conjux commisit adulterium, neuter agere ad divortium potest c. intelleximus 6. Adulter. quia uterque eodem se luto conspurcavit. ergo nec Sponsorum aliquis à Sponsalibus potest recedere, casu, quo uterque fornicationem commisit.

*Secunda sententia recessum à Sponsalibus hoc casu permittit soli Sponso.* Ita Henric. l. 11. de Matr. c. 14. n. 6. Sanch. l. 1. de Matr. D. 55. n. 9. Gutier. c. 31. n. 4. Conink D. 23. dub. 7. concl. 6. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 12. Pont. l. 12. de Sponsal. c. 17. n. 3. Pirh. hic n. 62. Schamb. n. 97. König. n. 63. dub. 4. *Nitentur 1.* quia ubi delicta sunt imparia, non admittitur compensatio. sed ubi Sponsus, & Sponsa fornicantur, delicta sunt imparia; nam fornicatio Sponsæ longè est foedior, eamque viliores reddit, quam Sponsum, ut eruditè ostendit Tiraquell. l. 1. connub. n. 45. 2. quando Sponsa post Sponsalia tactus obscenos admittit ab alio, potest resiliere Sponsus; at Sponsa non potest, etiam.



etiam si Sponsus oscula, vel tactus obscœnos admittat, ut *infra n. 181.* ostendetur. ergo idem de fornicatione dicendum. **3.** Mater Luxuriosè vivens non potest filiam ob ejusmodi causam exheredare, potest tamen pater, esto & ipse luxuriosè vivat, ut, notant Covar. *in c. Raynutius pr. n. 15. de testam.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 176. n. 15.* cum alijs: & hoc non ex alia causa, quàm quòd fornicatio fœminæ sit longè gravior, quàm sit fornicatio viri.

**167** Tertia, & meo iudicio tenenda cum Pal. *tr. 28. D. 1. p. 25. n. 10.* quem sequitur P. Wiest. *hic n. 106.* vult hoc casu utriusque Sponso recessum à Sponsalibus permissum esse. Et hoc videtur probari **1.** ratione; quia hoc casu utriusque Sponso datur sufficiens causa diffidendi de observatione fidei conjugalis, ob quam causam præcipuè permissum est Sponsis recedere à Sponsalibus in casu fornicationis ab altero tantum commissæ. **2.** à pari; quia, ut communis sententia habet, quando in executione Sponsalium uterque Sponsus culpabilis est, delicta non compensantur, sed recessus à Sponsalibus utriusque permittitur. ergo etiam non compensantur delicta, sed uterque à Sponsalibus potest recedere, quando uterque fornicationem commisit, **3.** quando Sponsus prius fornicatus est, Sponsæ jus absolutum quæsitum est resiliendi, & extincta obligatio standi Sponsalibus. atqui jus istud per fornicationem Sponsæ subsequenter non extinguitur, nec obligatio standi Sponsalibus reviviscit, ergo &c.

**168** Neque contrarium efficaciter probant Argumenta primæ Sententiæ. *Ad 1.* Regula ibi posita procedit, quando æquali posito delicto, cessat causa, ob quam innocentem aliàs actio contra nocentem datur, atqui hoc non contingit in casu dubij; nam ut ostensum est, causa præcipua, ob quam resiliere à Sponsalibus ob fornicationem alterius licet, est diffidentia de observatione fidei conjugalis, quæ manet, etiam si uterque fornicationem commiserit. *Ad 2.* Etsi hoc casu nullus alteri possit objicere violatam fidem, quia retorqueri in eum similis violatio possit; tamen uterque diffidere potest de alterius fide deinceps servanda. *Ad 3.* à Matrimonio ad Sponsalia hoc casu non bene ducitur Argumentum: quia Sponsalia, quavis notabili superveniente mutatione, & alijs etiam modis dissolvi possunt; Matrimonium autem quoad cohabitationem, & thorum multo difficilius, & ex causis tantum gravissimis.

**169** Nec efficaciora sunt Argumenta sententiæ secundæ. *Ad 1.* Argumentum hoc nimium probat; probat enim, quòd neque in adulterio compensatio detur, quando uterque conjugum ejus commissi reus est,

cùm adulterium uxoris longè turpius sit adulterio mariti. Sicut igitur in adulterio non consideratur major fœditas, sed fides violata, ita & in Sponsalibus spectanda est ratio præcipua, ob quam licentia resiliendi datur. *Ad 2.* disparitas dabitur *infra n. 180. & seq.* *Ad 3.* in casu ibi adducto attenditur major turpitudine delicti; in Sponsalibus quoad potestatem resiliendi suspecta fides, quæ, ut antè dixi, suspecta manet, etiam si Sponsus uterque fornicationem commiserit.

Dub. **3.** utrum à Sponsalibus resiliere liceat ob fornicationem, sive copulam carnalem vi extortam? Negant Tabien. *V. Sponsalia q. 9. n. 10. cas. 6.* Armill. *V. eod. n. 12.* Et videtur istud probari. **1.** quia sic fornicationem patiens non violat fidem, neque suspicionem ingerit, quòd eam constante Matrimonio violaturus sit. **2.** oppressio violenta non facit locum divortio in conjugibus. ergo neque in Sponsis dat causam resiliendi à Sponsalibus. **3.** Sponsa rapta, quantumvis à raptore per vim violata sit, debet Sponso restitui *can. desponsatas 46. caus. 27. q. 2.*

Sed respondendum est cum distinctio. **1.** ne: Vel enim ita vi corrupta est Sponsa, vel Sponsus. Si primum potest illam repudiare Sponsus, & Sponsalia cum ea facta dissolvere. Ita Gloss. *in c. quemadmodum 25. V. oculos de Jurejur.* Abb. *ibid. n. 12.* Alex. de Nevo *n. 17.* Sylv. *V. Sponsalia n. 10. cas. 7.* Navar. *Man. c. 22. n. 27.* Henricq. *l. 11. c. 14. n. 6.* Covar. *p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 2.* Sanch. *l. 1. de Matr. D. 55. n. 7.* Gutier. *c. 31. de Matr. n. 3.* Conink *D. 23. dub. 7. concl. 2.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 10.* Pal. *tr. 28. D. 1. p. 25. n. 5.* Zoef. *hic n. 41.* Schamb. *n. 96.* König *n. 72.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 102.* & colligitur ex *can. raptor 33. caus. 27. q. 2.* ubi raptus violentus Sponsæ non consentientis agnoscitur tanquam sufficiens causa, ut à Sponsalibus recedere Sponsus possit. Excipit Laym. *l. cit. n. 11. v. secundum*, si aperte constet Sponsæ fornicationem sine omni ejus culpa accidisse, v. g. in somno; tunc enim probabiliter putat dici, quòd Sponsus resiliere non possit, cum exinde Sponsa tam magnum dedecus non contrahat.

*Si secundum*, Gloss. *in can. sic quippe 45. V. queritur caus. 27. q. 2.* Navar. *Man. c. 22. n. 27. v. 9.* Gutier. *n. 3. cit. v. contrarium* putant non esse distinctionem faciendam inter Sponsum, & Sponsam, ita, ut etiam Sponsæ recessus sit licitus, si vi corruptus sit Sponsus; quòd vir, & mulier quoad fornicationem ad imparia non judicentur. Sed quia principium hoc solum procedit, quando fornicatio Sponsi est culpabilis, non verò, quando inculpabilis, ideo cum Sanch. *n. 8.* Laym. *n. 11.* Pal. *n. 6.*



n. 6. Pirh. hic n. 61. Wiest. n. 108. & alijs dicendum, non posse Sponsam vicissim recedere à Sponsalibus, quando Sponsus vi corruptus est, & in hoc omni culpa vacat.

173 Ratio utriusque partis, & simul disparitatis est; quia Sponsa vim passa multo fit vilior Sponso, cui illam, postquam ab alio etiam per vim corrupta est ducere, probrosum simul, ac periculosum est, ne prolem alienam pro sua alat: contra verò ejusmodi violentia Sponso illata eidem aut nullam, aut exiguam notam affert, ac proinde cum eo etiam post factum ejusmodi inire Matrimonium Sponsa nec probrosum, nec periculosum est. *Excipit* Pal. n. 6. cit. si Sponsus per vim Sodomiticè cognosceretur; quia negari non potest eum ob prædictum stuprum viliores redditum, & probrosum esse faminae sic stupratum ducere.

174 Neque obstant Argumenta n. 170. proposita. *Ad 1.* in hac quaestione recessus à Sponsa non oritur ex violatione fidei Sponsalitiæ, sed potius ex notabili mutatione, quæ non fuit antecederet prævisæ. *Ad 2.* Nego *Conf.* nam cum Matrimonium æctius inducat vinculum, quam Sponsalia, mirum non est ad Matrimonij solutionem quoad thorum, & cohabitationem graviores requiri causas, minores sufficere ad dissolvenda Sponsalia. *Ad 3.* ibi per Sponsam intelligitur Sponsa de præsententi: vel si sponsa de futuro intelligatur, illa tum solum sponso reddenda est a rapto, qui eam violavit, quando id Sponsus voluerit, & petierit.

175 Dub. 4. An sufficiens causa resiliendi à Sponsalibus sit fornicatio commissæ ante Sponsalia, sed ignorata? Negat cum quibusdam alijs Paludan. in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. n. 16. & tertio in opposendo, & n. 34. & *supplem. cod. art. 3. dub. 4.* & videtur hoc colligi ex c. *quemadmodum 25. de Jurejur.* ubi dicitur, quod Sponsus non possit Sponsam objicere fornicationem præcedentem, sed tantum subsequenter. *Conf.* ob fornicationem subsequenter ideo licitum est recedere à Sponsalibus, quia verisimile non est, quod Sponsa in Matrimonio sit servatura fidem, quæ Sponsalium fregit, atqui hæc ratio deficit in fornicatione præcedenti; multi enim ante Sponsalia incontinentes inveniuntur, qui ijs initis continent, & ad hoc Matrimonio junguntur, ut contineant.

176 Sed iterum distinguendum est inter fornicationem commissam à Sponsa, & inter commissam à Sponso; nam si Sponsus fornicationem commisit ante Sponsalia, quam ignoravit Sponsa, etsi dein hoc illa resciat, à Sponsalibus tamen ipsa resilire non potest, Sanch. l. 1. de Matr. D. 63. n. 9. Bonac. de Matr. q. 1. p. 8. n. 1. Co-

nink D. 23. dub. 7. n. 72. Zoel. hic n. 43. Schamb. n. 101. König n. 72. &. *Sane* Wex *Ariadn.* p. 5. tr. 2. p. 1. §. 7. n. 27. Ratio est; quia per hoc non fit Sponsus notabiliter vilior, nec notâ gravi afficitur Sponsa, si tali nubat. *Excipitur 1.* si ejusmodi fornicatio antecederet sit frequentata, & propterea Sponsam meritò dubiam redderet de priori in alias, quàm se affectu, fidèque conjugali non servanda; aut nisi prolem ex præcedente fornicatione habuisset deprehenderetur: tum enim Sponsa justam causam resiliendi præberi censent Conink n. 56. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 11. & reliqui *suprà.* *Excipitur 2.* nisi Sponsa Sponsaliorum tempore ad ea non consensisset, si Sponsum fornicarium esse scivisset; quia tunc defecisset consensus. Et hanc ob causam Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 110. putat univèrsaliter posse ob hanc causam à Sponsalibus recedere etiam Sponsam, quæ Virgo honesta est; quia talis procul dubio non æquè intendit nubere viro impudico, quàm pudico.

Quodsi Sponsa corrupta fuit ab alio<sup>177</sup> ante Sponsalia, & id Sponsus ignoravit, existimans eam esse Virginem, potest ille renuntiare Sponsalibus, Ita Molina. tr. 2. D. 272. n. 4. Sanch. l. 1. de Matr. D. 63. n. 3. Gutier. c. 34. de Matr. n. 3. Conink D. 23. dub. 7. n. 57. Perez *sect.* 14. n. 3. Zoel. hic n. 43. Engl. §. 3. n. 11. Pirh. n. 62. Schamb. n. 101. König n. 72. & *affirmativam*, Wiest. n. 108. Wex *Ariadn.* p. 5. tr. 2. p. 1. §. 7. n. 27. Ratio est, quia est notabilis mutatio, & ignominiosum est viro faminam corruptam ducere: quare Sponsus graviter decipitur, & tantum consentit per errorem dantem causam contractui, ideoque is rescindi à decepto potest. Idem dicendum, si Sponsus contraxit cum Vidua, quam Viduam quidem esse sciebat, sed ignorabat eam commississe fornicationem; nam & ipsa ratione istius facta est vilis, & impudica, & probrosum est viro ducere inhonestam, quam ipse putabat esse honestam Viduam Navar. *Man. c. 22. n. 17.* Sanch. de Matr. D. 63. cit. n. 5. Conink n. 58. *fin.* König n. 72. cit. & *textus.*

Eandem resiliendi potestatem San<sup>178</sup>chez n. 3. cit. cum alijs asserit Sponso, qui contraxit cum Vidua honesta, quam putavit esse Virginem; quia vilior est Virgine, & vir talem ducendo fit Bigamus: quod videtur esse grave incommodum. Sed Conink n. 58. cit. id putat esse difficile ob duplicem rationem. 1. quia hæc incommoda non videntur tanti æstimanda, cum in contrahente vix possit esse serius animus aliquando suscipiendi Statum Clericalem: imò in pluribus ne quidem est aptitudo ad talem Statum ob defectum doctrinæ, aut quia jam antè Irregulares erant; 2. quia



2. quia Sponsus sibi debet imputare, quod Viduam pro Virgine duxerit, nec de statu Sponsæ prius inquisierit, cum id facile potuisset facere. Aliud est in fornicatione, quæ occulta est, nec tam facile potest sciri: quare Sponso non est imputanda ejus ignorantia. *Excipit* Conink, si aut Sponsus actu gestaret habitum; aut ut Clericus alicui Ecclesiæ deserviret, atque ita cum notabili suo emolumento Clericali privilegio gauderet, quo per tale Matrimonium esset privandus; aut si illa tanquam Virginem se Sponso vendidisset; quia tunc dolo videretur eum induxisse.

179 *Ad argumentum sumptum ex c. quem- admodum cit.* dicendum, id intelligi debere, quando fornicatio præcedens non fuit ignorata à Sponso; nam cum tali contrahendo, videtur mores ejus approbare: quod præsumi nequit in casu, quo fornicatio antecederet commissa ignorata est à Sponso; cum enim nihil sit volitum, nisi quod est præcognitum, ignorans non præsumitur approbare. *Ad Conf.* ratio ibi assignata est aliqua, sed non adæquata; nam præterquam quod fornicatio subsequens, faciat suspensionem de fidelitate non observanda in conjugio, etiam inducit notabilem mutationem, & circumstantiam, quæ, si tempore Contractus Sponsalium extitisset, & fuisset cognita, merito absterere Sponsum ab illo ineundo potuisset. hæc autem ratio pugnat etiam in casu, quo fornicatio Sponsæ præcessit, sed fuit ignorata à Sponso.

180 *Dub. 5.* An sufficientem causam resiliendi præbeant tactus impudici, post contracta Sponsalia admitti à Sponso, vel Sponsa? *1.* si Sponsa permittat se turpiter tangi ab alijs, licet Sponso resiliere, ut cum communi docet Covar. p. 2. de Sponsal. c. 7. §. 6. n. 3. Sanch. l. 1. de Matr. D. 55. n. 5. Gutier. c. 31. de Matr. n. 2. Conink D. 23. dub. 7. n. 56. Pont. l. 12. c. 17. n. 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 10. Pal. tr. 28. D. 1. p. 25. n. 7. *Ratio est*, quia censetur impudicè vivere, nec potest vir eam sine gravi nota ducere.

At si Sponsus hujusmodi oscula, & tactus impudicos exercent, Ochagavia quidem de Sponsal. q. 23. Pal. p. 25. cit. n. 8. & hoc teste alij neotericis volunt idem tenendum, quod modò dictum de Sponso est, nempe & Sponsæ dari sufficientem resiliendi causam: in quam sententiam etiam inclinat Gutier. c. 31. de Matrim. n. 1. in fin. *1.* quia etiam vir talia faciens dicitur impudicè vivere, & justè timeri inde potest periculum fornicationis, *2.* quia prædictis osculis, & tactibus fides in Sponsalibus data videtur violari; nam contrahentes Sponsalia promittunt sibi invicem corpus suum reservare intactum, quod non observat Sponsus committens tactus, & oscula impudica, *3.* quia hæc commit-

tens suspensionem non levem ingerit minùs se amaturum Sponsam, quam alias.

Sed communis sententia cum Sanch. 181 n. 5. cit. Conink. n. 56. Laym. n. 11. Zeeff. n. 40. Schamb. n. 96. König n. 73. dub. 4. Pirh. n. 61. Wiest. n. 108. negat ob hanc causam Sponsæ permitti recessum à Sponsalibus, ex ratione; quia per hoc non redditur vir ita infamis, nec id est dedecus sponsæ. *Excipiunt*, nisi ejusmodi tactus, & oscula essent ita frequentia, ut indicarent Sponsum alteram magis amare, aut fidem Sponsæ non servaturum.

Neque obstant Argumenta in contrarium allata. *Ad 1.* vita impudica Sponsi, nisi sit contra fidem in Sponsalibus datam, non præbet sponsæ sufficientem resiliendi causam, modò inde in ipsam non redundet speciale dedecus, quod communiter non contingit ex Nuptijs cum Sponso, qui hujusmodi oscula, & tactus commisit. *Ad 2.* Sponsalia contrahentes solum promittunt se corpus suum non tradituros ulli alteri, quam promissionem adhuc observat Sponsus, licet oscula, & tactus impudicos committat. *Ad 3.* hoc solum verum est, quando illa committit frequenter secundum exceptionem superius datam.

*Dub. 6.* quanam, & qualis probatio stupri, seu fornicationis requiratur ad hoc, ut ob eam Sponsalia resolvi possint? *Videtur* sufficere probatio semiplena arg. can. dixit. 2. caus. 32. q. 1. ibi: *Ubiunque est fornicatio, vel fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur*; nam si ob suspensionem fornicationis uxor dimitti potest, multo magis potest non admitti; quia *turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.* *Conf. ex c. præterea 2. h. tit.* ubi affinitas ad rescindenda Sponsalia satis probatur per confessionem confanguinei, confitentis se cum Sponsa peccasse; si enim per unum testem, & quidem complicem satis probatur affinitas illegitima, cur non etiam fornicatio?

Sed dicendum, ut ad dissolutionem Sponsalium ex causa stupri, aut fornicationis procedi possit, necesse esse, ut de ea constet vel ex indubitatis indicijs, puta deprehensione in rebus Venereis, uteri gestatione, partus exclusione, vel per ipsius vitiatæ propriam confessionem, vel per testes fide dignos, vel per alias plenas probationes arg. l. fin. C. de Probat. Abb. in c. 1. de Adult. n. 5. Zypæus de Sponsal. c. 13. §. 50. & 51. Schneidevvin ad Inst. de Nupt. p. 4. n. 61. König hinc n. 74. *Ratio est*; quia Sponsa præsumitur Virgo, donec contrarium plenè probetur. *Excipitur*, nisi Sponsam vitiatam fornicatione cum altero commissa ferat communis fama, & sic illa facta sit infamis de isto crimine; tunc enim citra plenam probationem Sponsalia dissolvi possent, quòd hoc casu facta sit gravis mutatio ex parte Sponsæ. Zypæus h. tit. con-



consult. l. n. 5. ubi tamen salubriter monet, ne Judex rumores, & detractiones illorum, qui progressum Sponsalium malitiosè impedire contendunt, pro fama, & infamia recipiat.

184 *Ad Argumentum* sumptum ex can. dixit cit. ut textum istum interpretatur Gl. ff. ibid. l. suspicio, Sanch. l. 10. de Matr. D. 12. n. 41. & alij ab hoc cit. id intelligendum est de suspitione violenta, & tali, quæ pro veritate habeatur, & plenè probationis loco est. *Ad Conf* negatur paritas: nam in c. preterea cit. agitur de peccato, & salute animæ, ne scilicet Matrimonium contrahatur cum impedimento dirimente, ubi tutior tenenda via est, & semiplena probatio recipienda. At in casu Dubij non agitur de peccato vitando, nec de valore Matrimonij, sed tantùm de jure privatorum, utrum scilicet per fornicationem extinctum sit jus Sponsæ petendi adimpletionem Sponsalium, ubi afferenti incumbit probatio, & si intentionem suam sufficienter, ac plenè probare nequeat, contra eum pro negante præsumetur, & judicabitur.

185 *Quæritur* 4. an justam à Sponsalibus resiliendi causam præbeat notabilis mutatio, seu circumstantia, Sponsalibus superveniens, aut etiam ea præcedens, sed post contractum Sponsalium primùm cognita? R. utroque casu parti alteri permitti recessum à Sponsalibus. Ita Sylvest. l. Sponsalia q. 10. cas. 17. Sanch. l. 1. de Matr. D. 62. n. 3. & D. 63. n. 2. Conink D. 23. dub. 8. Tann. tom. 4. D. 8. q. 1. n. 69. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 18. § 19. Pal. tr. 28. D. 1. p. 27. 28. § 29. Gobat. Theol. Exper. tr. 10. n. 293. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 1. § 7. n. 23. § 24. Zoel. hic n. 46. Engl. §. 3. n. 11. v. octavo, Pirh. n. 63. Schambog. n. 102. § 104. König n. 75. Wiest. n. 110. Magnif. P. Schamer p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 137.

186 *Ratio de primo casu*, quo notabilis mutatio supervenit contractui Sponsalium, est; quia promissio non obligat ultra promittentis intentionem, nemo autem præsumitur obligare voluisse ad talem casum difficilem, propter quem prævisum quisvis homo prudens, & cordatus à Matrimonij promissione fuisset absterritus, præsertim in Sponsalibus, quæ cum amplectendi Status perpetui obligationem inducant, magnam libertatem in contrahentibus exigunt, ita, ut etiam Juramento ijs adjecto ex dispositione Juris insit tacita conditio, *Si res in eodem statu permaneat.*

187 *Ratio de secundo casu*, quando scilicet circumstantia ejusmodi jam priùs extitit, sed postea primùm est cognita, est; quia in Jure paria sunt non esse, & non apparere l. duo sunt 30. ff. de testam. tutel. item aliquid supervenire, & præcedere, sed ignorari l. in lege 77. ff. de contrab. empt. R. P. Schmalzgrueber l. 17.

ergo perindè est, an notabilis mutatio primùm superveniat Sponsalibus, an verò ejusmodi circumstantia jam priùs extiterit, sed fuerit ignorata; & cons. sicut Sponsalibus inest conditio tacita, *Si res in eodem statu permaneat*, ita etiam iisdem inest ista, *Nisi notabilis, & Matrimonij statum notabiliter difficiliorem reddens circumstantia appareat.* Extenditur hoc etiam ad Sponsalia jurata; quia Juramentum includit omnes condiciones contractus, cui adjicitur l. fin. C. de non num. pecun. ac proinde non est necesse tali casu relaxationem Juramenti petere, Sanchez. l. 1. D. 67. n. 2. Pirh. hic n. 63.

Et debet hoc casu Sponsa, vel Spon- 188 sa, afferenti se non contracturum fuisse Sponsalia, si talis causa à principio extitisset, in foro utroque adhiberi fides, si tamen perpenis circumstantijs verisimile sit non promissurum fuisse, si talis causa fuisset præcognita. Laym. l. cit. Sanchez D. 62. n. 6. Pirh. n. 63. cit. in fin. Schamb. n. 103. *Ratio est*; quia in his, quæ ad animum pertinent, ut sunt scientia, ignorantia, intentio &c. standum est cujusque juramento, si alio modo probari non possint, ut docet Covar. l. 2. var. c. 10. n. 1. v. tertio.

Addidi *Parti alteri*, scilicet illi, ex parte cujus nulla mutatio notabilis contigit; nam ex parte ejus, qui solvendorum Sponsalium causa est, Sponsalia non solvuntur; & hinc si v. g. Sponsus huic favori suo renuntiare, & deformitate Sponsæ non obstante, nihilominus velit illam in uxorem habere, non poterit id sponsa reculare. Engl. hic §. 3. n. 11.

Dub. 1. quænam sit adeo notabilis mutatio, vel circumstantia, quæ dum supervenit, aut antea jam exiens cognoscitur, justam causam alteri parti à Sponsalibus resiliendi præbeat? R. generaliter est omnis illa, quæ talis est, ut si ab initio extitisset, vel fuisset cognita, prudentium judicio à conjugij ineundi promissione alterum merito absterruisset. In specie mutationes hujusmodi ad tria capita reduci possunt.

*Primum se tenet ex parte corporis*; & hoc duplicis maximè generis est. 1. *deformitas magna superveniens alteri*, uti est; si aliquis ex sponis amiserit unum, vel utrumque oculum, truncatus fuerit naribus, auribus &c. c. quemadmodum 25. de Jurejur. ubi tamen adverte, ad hoc, ut sponsa ob deformitatem sponsi resiliere à Sponsalibus possit, non sufficere deformitatem quamcunque, sed requiri valde magnam; quia in viris non ita requiritur pulchritudo. Conink de Matr. D. 23. dub. 8. n. 66. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 18. Valens. hic §. 4. n. 9. Pirh. n. 64. Schamb. n. 104. König n. 77. 2. *gravis infirmitas corporis*, ut si alteruter incurrat in lepram, morbum Gallicum, paralyfin, epilepsiam, vel alium morbum incurabilem, & conta-

R

gio



giosum : uti & si habeat graveolentiam oris, quæ arte medica superari non possit *c. quemadmodum 25. de Jurejur.* & ratio est ; quia nemo cum talibus libenter contraheret. Sanch. l. 1. de Matr. D. 57. n. 1. *§* seqq. cum *citt.*

190 *Secundum* pertinet ad defectus animi ; cum enim ille corpore præstantior sit, ejus deformitas validiorem causam præstabit Sponsalibus dissolvendis. Proinde sponforum alter justam causam resiliendi habet. 1. quando unus illorum passus est gravem jacturam famæ, ex hæresi, veneficio, latrocinio, furto &c. ortam, Sanch. l. 1. de Matr. D. 57. n. 2. Gutier. c. 32. de Matr. n. 3. Pal. tr. 28. D. 1. p. 27. n. 7. cum alijs ; quia est gravis mutatio, quæ à contrahendo Matrimonio quemlibet prudentem averteret. 2. si ebrietati, scortationibus, rixis, alióve simili vitio reperitur deditus ? quia cum hujusmodi hominibus inita Matrimonia difficillima, & tristibus, atque infelicibus casibus obnoxia plerumque sunt, Sanch. D. 63. n. 10. Conink D. 23. dub. 8. n. 67. Pal. p. 27. cit. n. 7. Vall. hic §. 4. n. 10. König n. 76. 3. ob morum asperitatem, vel ob sævitiam primùm cognitam ; quia hæc sufficit etiam ad faciendum divortium inter conjuges *c. litteras 13. de rest. spoliat.* Sanch. D. 38. n. 1. Gutier. c. 33. n. 1. Conink n. 67. Pal. l. cit. *Neque obstat* textus *c. veniens 5. qui Cleric. vel vovent.* ubi mulier, quæ plura audierat de sponsi severitate, ideòque ei noluit copulari, dicitur fidem violasse ; nam ut Pal. l. cit. cum alijs notat, ibi supponitur, quòd mulier illa non certo, sed incerto solum rumore illud cognoverit, & crediderit nimis leviter. 4. si inter sponfos aut eorum parentes, vel consanguineos ortæ, vel metuendæ sint graves, & capitales inimicitie, præsertim si parentes, vel consanguinei alterutrius contrahentium Matrimonio obstinate se opponant, ita, ut ex eo magna scandala, & infelices exitus timeantur. Tanner. tom. 4. D. 8. q. 1. n. 67. Conink n. 68. Laym. n. 8. Pal. n. 7. cit. qui tamen *ibidem in fine* cum Sanch. l. 1. de Matr. D. 14. n. 3. in *fin.* advertit, cautè in hoc casu procedendum ; sæpe enim variæ minæ jactantur, terrorésque opponuntur, & discordiarum pericula intentantur, quæ tamen, experientia teste, ubi deseruit ille impetus, & Matrimonium celebratum est, in nihilum recidunt.

191 *Tertium* spectat *Bona fortuna.* Ex hoc capite justa resiliendi causa est 1. notabilis amissio honorum : ubi distinguendum, an unus solum jacturam hanc fecerit, an uterque. Si unus, alter solum, qui similem jacturam passus non est, resiliere à sponsalibus potest. Si uterque, uterque habebit justam resiliendi causam ; minùs enim apti sunt ad onera Matrimonij sustinenda, neque in hac parte est compensati locus. Rebell.

l. 4. de oblig. Just. q. 8. sect. 3. n. 70. Pont. l. 12. c. 17. n. 8. Pal. tr. 28. D. 1. p. 28. n. 4. 2. justus, & probabilis timor exhæredationis ; quia est timor cadendi à statu tempore sponsalium habito. Seraphin. decif. 1258. n. 1. *§* 2. Riccius decif. 132. Pont. n. 8. cit. Pal. n. 4. 3. si sponsa, aut ejus parentes vel non possint, vel non velint dare promissam dotem ; quia sub illius conditione censentur sponsalia contracta *c. de illis 3. de condit. appof.* & ratio est ; quia tali casu novum onus subiret sponsus, si deberet ducere indotatam, & solus onera Matrimonij ex proprijs bonis sustinere, Sanch. l. 1. de Matr. D. 59. n. 2. Laym. n. 18. cit. Pal. p. 28. cit. n. 1. Zæf. hic n. 48. Pirh. n. 64. König n. 78. Idèmqve est, si sponsalia sint inita sine mentione dotis, ut bene Sanch. n. 4. Pal. n. 3. Vall. §. 4. hic n. 9. & alijsuprà.

Dub. 2. an si post contracta Sponsalia Sponforum alteri superveniant insperatæ divitiæ, nobilitas, dignitas &c. iste à Sponsalibus resiliere de Jure possit. Affirmant aliqui cum Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 149. & probabiliorè hanc sententiam dicit esse P. Jacob. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 1. §. 7. n. 29. quia tali casu putant Sponsalium executionem notabiliter reddi duriorè, ita, ut meritò præsumi possit, Sponsum à principio non fuisse in Sponsalia consensurum, si se ita divitem, aut nobilitate, vel honoribus auctum, augendumve videret.

Sed probabilis Sanch. D. 59. cit. n. 7. Gutier. c. 33. de Matr. n. 4. Conink D. 23. dub. 8. n. 69. Pal. p. 28. cit. n. 5. Pirh. hic n. 64. König n. 78. putant non obinde posse Sponsum sic divitijs, nobilitate, vel dignitate auctum resiliere à Sponsa, manente in suo statu, sed obligatum esse ad standum promissis ; quia per ejus divitijs &c. non est facta Sponsa conditionis deterioris ; neque per hoc potest dici deceptus Sponsus in Sponsæ conditione, aut per errorem in eam consensisse, sed circa propriam conditionem, circa quam consensus non fertur.

*Ad Argumentum sententia opposita* dico, executionem Sponsalium hoc casu non fieri duriorè per se, sed ex eo tantùm, quòd impediatur ab alijs Sponsalibus ditioribus contrahendis : quod ad resiliendum à Sponsalibus contractis non sufficit ; aliàs quoties offerrentur Sponsalia ditiora, minùs ditia possent solvi, quod non est dicendum.

Dub. 3. an Sponsus beneficio resiliendi uti etiamnum possit, si postquam notabilis mutatio accidit ex parte Sponsæ, vel similis circumstantia præcedens ipsi fuit detecta, carnaliter eam cognovit ? R. non posse. Ita cum S. Thom. in 4. dist. 35. q. un. art. 1. docent Sanch. l. 1. de Matr. D. 66. n.



66. n. 2. Gutier. c. 34. de Matr. n. 9. Pont. l. 12. c. 18. n. 4. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 20. Sporer de Matr. n. 219. Engl. hic §. 3. n. 11. Pirh. n. 65. König n. 79. Wiest. n. 113. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 152. Ratio est; quia juri suo renuntiassè censetur, ferè, sicut qui accedit voluntariè ad conjugem suam post comper- tum ipsius adulterium, injuriam illi cen- setur remittere, ut ad divortium petendum amplius non admittatur: quod saltem ve- rum est, si Sponsalia non ipso Jure fuissent nulla.

194 Quæritur §. an, & quando Sponsalia dissolvantur lapsu termini, Matrimonio in- eundo præfixi? R. cum distinctione: Nam duobus modis terminus, five dies certus præ- figi Sponsalibus potest. 1. obligationi il- lorum implendæ, five ita, ut promissas Nup- tias usque ad diem præfixum, non ultra il- lum differre liceat. 2. ei etiam finiendæ, ut si nuptiæ usque ad statutum diem alterius culpa non sint secutæ, alter Sponsalitia ob- ligatione non adstringatur.

Si primo modo terminus adjiciatur Sponsalibus, eo lapsu Sponsalia non dissol- vuntur, sed ea implendi obligatio ex parte utriusque manet, arg. c. cum dilecti 6. de Dol. & l. Celsus 23. §. idem ait 1. ff. de re- cept. qui arbitr. Abb. in c. 22. b. tit. n. 11. Alex. de Nevo n. 18. Sylv. V. Sponsalia n. 10. §. quintò, Brunell. de Sponsal. concl. 8. n. 4. Covar. p. 1. de Sponsal. c. 5. pr. n. 8. Sanch. l. 1. de Matr. D. 53. n. 3. & seqq. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 16. Bec- can. p. 3. Theol. Schol. c. 43. q. 28. n. 23. & Pal. tr. 28. D. 1. p. 24. n. 2. Zæf. hic n. 39. Engl. §. 3. n. 9. Pirh. n. 46. Schambog. n. 94. & 95. König n. 69. §. dixi autem, Wiest. n. 115. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 78. Ratio est; quia, ut Abb. l. cit. n. 12. advertit, Sponsali- bus ita initis insunt obligationes duæ, una in eundi Matrimonium, altera ultra præfi- xum tempus non differendi, quæ obliga- tiones cum separabiles sint à se invicem, & prima principalis, altera lapsu temporis de- ficiente, manebit prima, sicut manet etiam obligatio solvendi debitum, quod tempore statuto solutum non est.

195 At si posteriori modo, nempe finiendæ obligationi statutus sit terminus, & nuptiæ non sint secutæ, tunc distinguendum est: Velenim per utrumque contrahentem stetit, quò minus nuptiæ sequerentur; & eo casu ex parte utriusque solvuntur Sponsalia: vel contra per alterum tantùm stetit, tunc hic obligatur adhuc, ne ex culpa sua commo- dum referat; alter verò liber manet, et amfi Sponsalia jurata sint, ut colligitur ex c. sicut 22. b. tit. ibi Nec per eum stetit, & docent Sanch. D. 53. n. 6. Laym. n. 17. Pal. n. 2. & 6. Rolignol. de Sponsal. II. prænot. 12 n. 1. & 4. cum cit. Ratio est; quia pro- R. P. Schmalzgrueber L. IV.

missio, eique firmandæ adjectum juramen- tum non obligat ultra conventionem, & contrahentium intentionem arg. Reg. contra- ctus 85. & Reg. accessorium 52. in 6. Ex- cipitur 1. nisi Sponsalibus terminus ita sta- tutus esset, ut ultra eum, ex quacunque causa Nuptiæ secutæ non sint, neuter alteri obligari velit; nam eo casu, lapsu termino, uterque deobligaretur, ut arg. Reg. contractus cit. monet Perez D. 9. sect. 10. n. 2. in fin. Wiest. hic n. 116.

Dub. 1. quando censetur tempus adjectum implendæ obligationi Sponsalium, quando illi finiendæ? R. id colligendum ex verbis contrahentium. Si verba sint ambigua, Conink D. 23. dub. 6. n. 42. & ex hoc Pal. tr. 28. D. 1. p. 24. n. 3. docent recurrendum ad causas, & motiva, ob quæ terminus fuit assignatus. Nam si utraque pars, vel saltem illa, quæ cupit diem adjici, apprehendit sibi omnino expedire, ut brevi five cum hac, five cum alia persona Matri- monium contrahat, quia vel difficile ipsi est diutius à nuptijs abstinere, vel alia offe- runtur Matrimonia commoda, quæ postea frustra desiderabuntur, censetur tempus adjectum obligationi finiendæ.

At si adjiciatur tempus non quia par- tibus per se incommodum est diutius absti- nere à nuptijs, sed quia Nuptias has appre- hendunt ut sibi commodas, ideòque cu- piunt eas citò perfici, ne quacunque ratione postea impediantur, censetur adjectum tempus obligationi intra illud tempus im- plendæ: & tunc eo decurso neuter libera- bitur ad obligatione Sponsalium (quia cu- piunt hanc omnino utrinque perseverare, donec promissa impleantur) sed pars mo- rem faciens cogi poterit, ut citò contra- ctum impleat; quia terminus non finit obli- gationem, sed eam urget, atque sollicitat.

Dub. 2. an casu, quo tempus Spon- salibus adjectum est finiendæ obligationi, & uni contrahentium legitimum occurrit impedimentum, ne tempore illo Sponsalia implere possit, alter, qui ad Nuptias sta- tuto tempore contrahendas fuit paratus, ab obligatione Sponsalium liberetur? Negant Paludan. in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. cas. 4. n. 20. Sanch. l. 1. de Matrim. D. 53. n. 7. Gu- tier. c. 24. de Matr. n. 10. Pont. l. 12. c. 16. in fin. n. 4. & viderur hoc etiam proba- re ratio; quia legitime impedito non currit tempus c. quia diversitatem 5. de concess. præb. & l. super annali 1. §. fin. C. de annal. except. Conf. quia c. sicut 22. b. tit. ad alterum ab obligatione eximendum requiritur, ut per eum non steterit; quo minus nuptiæ sint celebratæ, atqui in proposito casu per neu- trum contrahentium stetit. ergo non est ra- tio, cur unus eximatur, si velit, alter verò obligare non possit ad standum contractu, ne hic videatur jure suo privari, & poenam pati absque delictò suo.

F 2

Sed



299 Sed his non obstantibus, dicendum, etsi ob intercurrentes impedimentum mora alterius inculpabilis sit, eum tamen, qui ad nuptias in tempore celebrandas paratus fuit, illo lapsu, deobligatum esse. Ita Navarr. *Man. c. 22. n. 27. cas. 12.* Conink. *D. 23. dub. 6. n. 47.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 17.* Pal. *tr. 28. D. 1. p. 24. n. 8.* Bosco *Theol. Sacr. D. 11. sect. 2. concl. 2. n. 52.* Köni. *hic n. 69.* Wiet. *n. 117.* Reiffent. *n. 220.* Ratio est; quia ita conventum est inter partes: ac proinde qui ad nuptias in tempore paratus fuit, si illo lapsu resiliat, defendetur *Reg. contractus cit.* quamvis mora alterius sit absque culpa. *Conf. 1.* quia nuptiarum omilio illi, qui paratus est ad eas in tempore celebrandas, non minus incommoda, periculosa, & damnosa est, quam si mora fuisset culpabilis, ergo utroque casu eidem datur iusta causa recessus à Sponsalibus. *Conf. 2. a paritate;* nam ut *l. si convenerit 14. ff. pro Socio* statuitur, Societati ob solum defectum conditionis, quã illa contracta fuit, renuntians actione non tenetur.

300 *Ad Argumentum contrarium,* etsi legitime impedito, non currat tempus ad contrahendam poenam legalem, aut conventionalem, currit tamen ad tollendam obligationem, si eo lapsu deficiat conditio, cui promissio est alligata; talis autem conditio est tempus Sponsalibus implendis præfixum, ergo &c. *At Conf. textus secundi* potius est pro nostra sententia; dicit enim eum, per quem non stetit, quo minus nuptiæ secutæ sint, ab obligatione liberum esse, sine distinctione, vel exceptione, an alter fuerit in mora culpabili. Quod additur de poena, negatur suppositum; nam obligatio Sponsalium hoc casu in eo, qui paratus erat ad contrahendas nuptias, non cessat in poenam, sed ob defectum conditionis.

301 *Quæritur 6.* quando discessus Sponsi, vel Sponsæ in terras remotas præbeat alteri iustam causam resiliendi à Sponsalibus? *re.* cum distinctione: Vel enim discessus hic sit animo mutandi domicilium, vel animo redeundi. *Si primum,* & ejusmodi discessus factus est absque licentia Sponsæ, non tenetur Sponsa eum sequi, sed libera est ab ipso, etiamsi Sponsalia jurata sint. Ita Sanch. *l. 1. de Matr. D. 54. n. 14.* Gutier. *c. 30. de Matr. n. 5. fin.* Conink *D. 23. dub. 6. concl. 6.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 15.* Pal. *tr. 28. D. 1. p. 23. n. 1.* Wex *Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 2. contr. 7. n. 4.* Valens. *hic §. 4. n. 4.* Pirh. *n. 48.* König. *n. 70.* Wiet. *n. 118.* & colligitur ex *c. de illis §. b. tit. ibi. Dimittant terram, se ad partes alias transferentes,* quæ verba, ut *ibidem* notant Abb. *n. 2.* Canis. *n. 1.* Pont. *l. 12. c. 15. n. 2.* significant mutationem domicilij; neque enim, qui Studiorum, aut alterius negotij causâ aliò se confert, terram dimit-

tit *arg. l. clam possidere 6. §. fin. ff. de acquir. vel amit. possess. & l. nec ipsi 2. c. de incol.* Ratio autem, cur tali discessu Sponsalia, etiam jurata, solvantur, est partim, quòd eo animo discedens, Sponsalibus ipso facto videatur renuntiare; partim quòd Sponsa de futuro Sponsum domicilium mutantem non teneatur sequi, sicut uxor sequi tenetur virum. Idem dicendum, si Sponsa intelligat, Sponsum esse vagabundum, quod antè nesciverat; quia est notabilis circumstantia, quæ cum difficiliorem reddat contractum Matrimonij, non censetur inclusa in contractu Sponsalium, ut ad eam Sponsa se voluerit obligare.

*Si secundum,* & Sponsi discessus fiat animo redeundi, iterum distinguendum est; nam si discedat eò, unde reditus sit facilis, & non diu differendus judicetur, faciliè convenit inter DD. Sponsam non posse idcirco recedere à sponsalibus, sed teneri ad expectandum reditum; neque tenim tali discessu sponsus renuntiâsse censetur sponsalibus. At si discedit eò, unde difficilis est regressus, vel licet difficilis iste non sit, sponsus ex alia causâ diu non rediturus moraliter certò scitur, dissident inter se DD. Nam *1.* quidam cum Joan. Andr. *in c. de illis cit. n. 6.* negant eo casu permissum esse recessum à sponsalibus.

*2.* Alij cum Gloss *in c. de illis cit. V. 209 liberum.* Sylv. *V. Sponsalia n. 10. cas. 4.* Menoch. *de arbitr. cas. 455. n. 7.* Rebell. *l. 4. de oblig. ff. q. 8. sect. 3. n. 2. §. 3.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 14.* Canis. *in c. de illis cit. n. 2.* Wagn. *ibid.* Brunnem. *in l. si is 2. C. b. tit. Pirh. hic n. 48.* Schanb. *ibid. n. 91. §. 92.* putant quoad hoc observandum Jus Civile, ex cujus dispositione attendi debet, an Sponsus ita absit ex causa necessaria, an voluntaria; nam si absit diutius ex causa voluntaria, eaque justa, si intra Provinciam versetur, expectandus est biennio *l. si is cit.* si extra Provinciam triennio *l. liberum 2. C. de repudijs.* Si verò causa absentia sit necessaria, v. g. mors parentum, valetudo propria, negotium magni momenti, jubetur Sponsa illum expectare quadriennio, & ultra, donec causa cesset *l. saepe 17. ff. h. tit.* nisi aliter conventum sit, vel incontinentia periculum Matrimonium urgeat.

*3.* Denique alij, & probabilius existimant eo casu recessum à Sponsalibus permissum esse, si fiat in sciã, vel invitã Sponsã, sive deinde is fiat ex causa necessaria, sive ex voluntaria. Ita Alex. de Nevo *in c. de illis cit. n. 15.* Angel. *V. Sponsalia n. 26.* Alex. Carrer. *l. 1. de Sponsal. c. 15.* Covar. *p. 1. de Sponsal. c. 5. pr. n. 7.* Sanch. *l. 1. de Matr. D. 54. n. 6.* Pont. *l. 12. c. 15. n. 4.* Pal. *tr. 28. D. 1. p. 23. n. 2. v. sed verus,* Gutier. *c. 30. de Matr. n. 3.* Perez *D. 9. sect. 9. n. 9.* Zael. *hic n. 38.* Wiet. *n. 119.* Reiff-



Reiffenst. n. 219. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 90. Ratio est; quia in-  
sciã, aut invitã Sponsã discedens eò, unde  
difficiliter, aut nonnisi post longum tem-  
pus est rediturus, juri suo renuntiãsse, nec  
datam fidem, ut oportet, servãsse cense-  
tur.

205 Neque curari in Sponsalibus fidelium  
debent Juris Civilis quoad hoc dispositiones.  
Nam Jure Civili tempus Legibus statutum  
expectandum fuit, non ut Sponsa renun-  
tiare posset Sponsalibus (quia etiam ante  
hoc tempus renuntiare ipsidem poterat,  
quippe cum liberam renuntiandi potestatem  
Leges concederent) sed tantum, ut ab ijs  
recedens Arrhas à Sponso datas retinere pos-  
set, quas amissura erat, si à Sponsalibus  
ante hoc tempus recessisset. Alter res se  
habet de Jure Canonico, quod liberam  
potestatem Sponsalibus renuntiandi sustulit,  
etsi renuntians Arrhas vellet perdere; un-  
de cum cessante causa, etiam effectus ces-  
set, dicendum, quòd hoc tempus, Lege  
Civili statutum, non amplius expectari de-  
beat.

206 Dubitatur, quid in praxi observan-  
dum, ne absentis prætextu Sponsalia sus-  
que deque habeantur? hæc observa-  
nda sunt. 1. Si Sponsus quacunque ex cau-  
sa absit, Sponsa consentiente, expectare  
ipsa debet toto eo tempore, quo inter  
ipso conventum est, donec is redeat; cum  
enim volenti nulla fiat injuria, neque ejus-  
modi discessus haberi pro renuntiatione  
possit, nulla est causa, quæ ipsam tali casu  
à Sponsalibus liberam faciat. Sanch. l. 1. de  
Matr. D. 54. n. 13. Pal. tr. 28. D. 1. p.  
23. n. 2. Quodsi tamen intra tempus con-  
ventum non redeat, Sponsa potest alteri  
nubere, ut idem Sanch. l. cit. cum Joan.  
Andr. in c. de illis cit. n. 5. advertit, ubi  
tamen excipit, nisi constaret Sponsæ, in-  
culpabiliter Sponsum non venire tempore  
prescripto; tunc enim deberet expectare  
ulterius casu, quo tempus illud constitu-  
tum est obligationi implendæ, non finien-  
dæ.

207 2. Si Sponsus invitã, aut in sciã Spon-  
sã aliò sese transtulit animo mutandi domici-  
lium, ne momento quidem temporis exspe-  
ctare Sponsa tenetur, sed non obstantibus  
Sponsalibus, ad alia vota liberè transire po-  
test. Debet tamen Sponsa esse certa de  
animo Sponsi, quòd voluerit mutare domi-  
cilium; alioquin Sponsum expectare de-  
bet, ut bene notârunt Abb. in c. de illis cit.  
fin. præposit. n. 5. Henric. l. 11. c. 14. n.  
5. Sanch. l. 1. D. 54. n. 12. Gutier. c. 30.  
de Matr. n. 7. Pal. p. 23. cit. n. 3.

208 3. Si certò constat, quòd Sponsus dis-  
cesserit absque animo mutandi domicilium,  
distinguendum est, an discesserit in locum  
propinquum, vel in remotum, unde non  
sit spes brevi rediturum. Si primum, &

hoc sciatur, expectandus est Sponsus, vel  
requirendus, ut intra certum tempus Spon-  
salia impleat. Sanch. n. 11. Si secundum,  
Sponsa libera erit ab obligatione Sponsalium,  
siquidem discessus ille factus est Sponsã in-  
sciã, aut invitã.

4. Si de absentis intentione, ac  
diuturnitate absentis non ita constet, ab-  
sensus per Epistolam, aut nuntium requiren-  
dus est, ut intra certum tempus redeat.  
Quodsi autem hoc loci distantia non per-  
mittat, aut tempestivi reditus spes certa  
non fiat, Sponsa causam ad Judicem Ec-  
clesiasticum deferre debet, ejusque arbi-  
trio, ac pronuntiationi relinquere, an ei-  
dem liber ad alia vota transitus permissus,  
an contra Sponsi adventus præstolandus sit.  
Covar. p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 7. Sanch. D.  
54. cit. n. 11. Gutier. c. 30. cit. n. 2. § 6.  
Pal. p. 23. cit. n. 3. Gonzal. in c. de illis cit.  
n. 3. Gobat tr. 10. n. 353. Wex Ariadn. p.  
5. tr. 2. p. 2. contr. 7. n. 11. Wiest. hie  
n. 121.

Quæritur 7. utrum Sponsalia dissol-  
vantur ob superveniens Juris impedimen-  
tum? cum distinctione, an illud Im-  
pedimentum sit unum ex dirimentibus, an  
verò tantum ex impediens Matrimo-  
nium. Si hoc secundum, quidam apud Sanch.  
l. 1. de Matr. D. 56. n. 2. volunt, eo su-  
perveniente, solvi Sponsalia ex parte inno-  
centis. Sed verius est oppositum, tum  
quia ejusmodi impedimenta non impediunt  
Matrimonia, nisi re integra; tum etiam,  
quòd probabilissimum sit, excepto Reli-  
gionis, & Castitatis Voto, nullum aliud ex  
his, quæ tantum impediens nuncupantur,  
Matrimonium impedire, dispensationeque  
indigere, ut optimè Sanch. l. cit. n. 3. Co-  
nink D. 23. dub. 5. n. 36. Pal. tr. 28. D. 1.  
p. 26. n. 1.

Si primum, certum est, obligationem  
Sponsalium præcedentium cessare omnino,  
quando ipsidem supervenit Impedimentum  
Matrimonium Jure naturæ dirimens, v. g.  
impotentia perpetua; quia tali casu Matri-  
monium evadit impossibile, impossibile  
autem nulla est obligatio Reg. *impossibile*  
185. ff. & Reg. nemo 6. in 6.

Controversia est de casu, quo super-  
venit impedimentum Jure Ecclesiastico so-  
lum dirimens Matrimonium e. g. fornicatio  
cum consanguinea Sponsæ in primo gradu.  
Putant aliqui etiam hoc casu cessare obliga-  
tionem Sponsalium prius contractorum,  
neque illum, cujus culpã contrahitur impe-  
dimentum tale, obligari ad procurandam  
dispensationem, altero exigente. Et vi-  
detur istud probari. 1. quia dispensatio est  
quædam Juris læsio, ad quam procurandam  
nemo videtur adstrictus. 2. dispensatio  
est gratia & favor Principis affinis privilegio,  
quo uti invitatus nemo tenetur. 3. pen-  
det à voluntate Principis, seu Pontificis,  
quæ



qui dispensationem impertiri potest atque ea, quæ pendent à voluntate Principis, reputantur quasi impossibilia l. *continuis* 137. S. *cum quis* 6. ff. de V. O. ergo &c.

12 Sed dicendum, hoc casu quidem cessare obligationem Sponsalitiæ ex parte innocentis, suspendi verò solum ex parte nocentis, seu ejus, qui causa impedimenti extitit, ita, ut hic, si id absque incommodo, & damno suo multo graviori possit, quam pars læsa ex appositione impedimenti patitur, teneatur dispensationem Impedimenti petere, & eo sublato, si adhuc velit pars læsa, fidem eidem datam implere. Ita Sanch. l. 1. D. 56. n. 4. Conink D. 23. dub. 5. n. 27. Pal. tr. 28. D. 1. p. 26. n. 4. Perez sect. 2. à n. 5. Rosignol, de Sponsal. II. prænot. 7. n. 3. Sporer de Matr. n. 214. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 1. §. 7. n. 11. König hic n. 67. Wiest. n. 102.

Dixi 1. ex parte innocentis cessare obligationem Sponsalitiæ: quod colligitur ex c. *quemadmodum* 25. de Jurejur. & ratio est; quia ex parte nocentis supervenit notabilis mutatio, quæ proinde justam causam innocentem ad resiliendum à Sponsalibus præbet.

Dixi 2. ex parte nocentis eam obligationem suspendi; quia æquum non est, ut qui impedimento malitiæ suæ causam dedit, ex ea commodum referat, & ab obligatione contracta contra eum, in quem deliquit, cum præjudicio ejusdem liberetur.

Dixi 3. cum teneri dispensationem impedimenti petere; cum enim Nuptiis impedimentum ponendo Sponsi sui jus læserit, obligabitur hoc ejus jus reparare eo modo, quo potest, potest autem petendo dispensationem impedimenti. ergo &c.

Dixi 4. si id absque incommodo, & damno suo graviori possit; nemo enim tenetur reparare damnum alterius cum suo multo majori.

13 Neque obstant Argumenta opposita. Ad 1. & 2. licet hoc per se ita sit, per accidens tamen ratione damni, & injuriæ, quam intulit alteri, obligabitur favore suo uti, si aliter reparatio ejusdem fieri nequeat. Ad 3. quæ pendent à voluntate Principis, reputantur quasi impossibilia, si difficulter, & cum magnis expensis, aut incommodis obtineri possint: secus si faciliè vel cum incommodo quidem, sed minori, quam pateretur is, qui læsus est, juxta principium generale, quòd in pari causa potius favendum sit innocenti, quam nocenti.

14 Quæritur 8. an & qua ratione Sponsalia solvi possint Dispensatione? n. possunt dispensatione solvi, non tamen ab alio, quam à Summo Pontifice. Paludan. in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. n. 14. Sanch. l. 1. de Matr. D. 61. n. 3. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 1. §. 7. n. 9. Ratio est; quia per Sponsalia validè contracta est jus acquisitum tertio,

quod nullus, præter supremum Principem, auferre potest. Exerceri autem potestas hæc à Pontifice potest tantum ob causas justas & graves: imò si Sponsalia fuerint Juramento confirmata, opus est causâ gravissimâ concernente bonum commune. Wex l. cit. cum alijs, quos allegat. Intellige, si pars altera renitatur; nam si utraque pars cederet jure suo non opus foret dispensatione Pontificis, sed Sponsalia solverentur solo mutuo consensu, ut dictum est n. 155. & seqq.

Quæritur 9. an ad dissolvenda Sponsalia ob hæctenus allatas causas opus sit sententiâ, & autoritate Judicis? Affirmat Innocentius in c. *de illis* 7. de despons. impub. motus istius textu, ubi cautum est, ut impuberes, qui adveniente pubertate, reclamant, judicio Ecclesiæ ab invicem separentur. Conf. à paritate cum Matrimonio, à quo, etsi causa recedendi sit liquida, recessus tamen privatus non est concessus, ut patet ex can. *secularis* 1. caus. 33. q. 2. & c. *duo pueri* 12. de despons. impub.

Sed melius dicitur, justâ causâ certò subsistente, à Sponsalibus recedenti auctoritatem Judicis, secluso speciali Jure, per se non esse necessariam. Ita Sylv. V. Sponsalia q. 11. Navar. Man. c. 22. n. 23. Sanch. l. 1. de Matr. D. 69. n. 3. Gutier. c. 35. de Matr. n. 4. Conink D. 23. dub. 2. n. 70. not. 2. Pont. l. 12. c. 18. n. 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 23. Zæf. hic n. 49. Engl. §. 3. n. 12. Pirh. n. 65. König n. 22. Schamb. n. 105. Wiest. n. 123. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 11. Ratio est; quia interventus autoritatis Judicis nulla Jure præscriptus est, & Sponsalibus tacita conditio inest, *Si res in eodem statu permaneat*, sive, *si non superveniat justâ, jurèque approbata causa resiliendi*. igitur superveniente hujusmodi causa, & conditione illa deficiente, Sponsalium obligatio jure cessat, & Sponso liber recessus permissus est.

Dixi 1. justâ causâ certò subsistente; 216 quia quando causa sive de Jure, & quoad sufficientiam, sive de facto, & quoad existentiam dubia est, liber à Sponsalibus recessus non est permissus, nec faciliè permitendus sine autoritate Judicis, ut rectè Sanch. l. cit. n. 8. Gutier. n. 7. Pal. tr. 28. D. 1. p. 31. n. 1. Perez D. 11. sect. 3. n. 8. Magnif. P. Schmier n. 17. cum alijs supra: & ratio est; quia in dubio jure suo nemo privandus est, & melior est conditio possidentis.

Dixi 2. secluso speciali Jure; quia speciali Jure aliquando, saltem cum Sponsalia publica, & notoria sunt, Ecclesiastici Judicis autoritate ad eorundem dissolutionem opus est. Pal. n. 3. Idque prudenter, tum ut causa dissolutionis exactius investigetur; tum ut omnis suspicio mali removeatur; quam consuetudinem teste Laym.



De Sponsalibus, & Matrimonijs.

c. 2. cit. in fin. approbat S. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. Richard. ibid. art. 3. q. 3. Paludan. q. 2. S. Anton. p. 3. tit. 1. c. 18. §. 1. Et ejusmodi Jus in Mechliniensis, & Constantiensis Diocesis vigere testatur Gobat Theol. Exper. tr. 10. à n. 260.

817 Dixi 3. per se; per accidens enim aliquando à Sponsalibus recedenti auctoritas Judicis necessaria est, ut ad vitandum scandalum, cum Sponsalia publicè nota, causa autem dissolutionis ignota est. Pal. n. 2. Boscho de Matr. D. 11. sect. 3. con. 11. n. 175. Magnif. P. Schmier n. 18.

Ad Argumentum sumptum ex c. de illis cit. ibi non dicitur, necessarium esse iudicium Ecclesiæ, sed tantum iuberetur, ut Judex Ecclesiasticus, si coram ipso impubes, pubertatem adeptus, reclamaverit, eum separet. Ad Conf. negatur paritas, nam Matrimonium ex natura sua est contractus insolubilis: indeque non videbatur expediens, ut in potestate sit partium, proprio motu à statu tam arctè obligatorio resiliere.

818 Quaritur 10. quomodo de ejusmodi causa constare debeat, ut à Sponsalibus recessus permissus sit Sponsis? R. cum distinctione: Vel enim dissolutionis causa talis est, ut dirimat, vel impediatur Matrimonium; vel solum talis, ut jus resiliendi tribuat, non dirimat, vel impediatur Matrimonium, uti est v. g. fornicatio alterius partis.

Si primum, ad Sponsalium dissolutionem faciendam sufficit iudici unius etiam testis, aliàs non idonei, depositio, fama publica, & propria confessio contrahen-

tium, etiam unius, Menoch. de arbitr. cas. 103. n. 2. Sanchez l. 1. de Matr. D. 72. n. 2. Gutier. c. 36. de Matr. n. 18. Pal. tr. 28. D. 1. p. 32. n. 2. §. 3. König hic n. 67. §. 68. & colligitur arg. c. attestaciones 10. de despons. impub. c. super eo 22. de test. §. Attest. c. preterea 2. h. tit. & c. super eo 2. de consang. §. affinit. Ratio est; quia hoc casu agitur de peccato, & animæ periculo vitando, ubi minor probatio sufficit.

Si secundum contingat, & causa dissolutionis non sit impedimentum dirimens, vel impediens, controversia est inter DD. nam Paludan. in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. n. 17. in fin. arg. textum cit. contendit, etiam hoc casu unius testis depositionem, aliàmve similem probationem sufficere. Sed male; quia textus isti procedunt favore animæ, cujus salus in casu nostro non adducitur in discrimen, sed de solo præiudicio tertij agitur, ubi autem de præiudicio tertij agitur, generalis est Regula, requiri duos testes omni exceptione majores, aut aliam probationem plenam. Quare ista etiam in presenti casu necessaria erit. Sanch. l. 1. D. 71. n. 7. Gutier. c. 36. n. 17. Conink dub. 11. concl. 4. n. 81. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 12. y. dico tertio, Pal. p. 32. cit. n. 8.

Eadem probationes, quæ in foro externo sufficiunt, etiam sufficiunt in interno, & conscientia. Imò in isto ad Sponsalium dissolutionem sufficit depositio unius testis fide digni, etiam non jurati, ut notat Sanch. D. 73. n. 2. Gutier. c. 36. n. 17. Pal. p. 32. cit. n. 8. fin.

SECTIO II.

De Matrimonio.

Post Sponsalia iusto ordine sequitur Matrimonium; nam ad hoc illa tanquam via ad terminum à contrahentibus unice, & principaliter intentum deducunt. Su-

mi istud dupliciter potest: primo secundum se, & secundò, prout est Sacramentum. In utraque acceptione multa occurrunt dubia, quæ Examine digna sunt. Sit ergo

§. I.

De Matrimonio secundum se.

S U M M A R I U M.

- 221. Etymologia Nominis Matrimonium.
- 222. Alia hujus nomina.
- 223. Desinitio.
- 224. 225. 226. Explicatio Definitionis.
- 227. Dividitur primo in Legitimum, Ratum, & Consummatum.
- 228. Requisita, ut Consummatum censeatur.
- 229. An consummetur per copulam primo bimestri vi extortam?
- 230. Defenditur Sententia affirmativa.
- 231. Solvuntur Argumenta Partis negantis.

- 232. Secundò dividitur in Verum, Presumptum, & Putativum.
- 233. Quomodo probetur Matrimonium?
- 234. Quibus casibus illud Jura presument initium?
- 235. Quenam requirantur, ut Matrimonium Putativum habeat effectus Juris?
- 236. Tertio dividitur in Canonicum, & Politicum.
- 237. Quò pertinet etiam contractum ad Morganaticam.



238. An licitum sit pactum Morganaticæ.  
 239. An istud Pater illustris, stante Matrimonio, revocare, vel immutare possit?  
 240. An, & quomodo in bonis paternis succedant filij Morganatici?  
 241. 242. 243. 244. 245. Quam Matrimonia contrahere possint?  
 246. 247. An valeat contractum à parentibus nomine liberorum: si isti presentes taceant, & non contradicant?  
 248. 249. 250. An Matrimonium contrahi per Procuratorem possit?  
 251. Quam requirantur, ut contractum per Procuratorem valeat?  
 252. 253. An ad valorem mandati Procuratorij requiratur presentia Parochi, & testium?  
 254. 255. An Matrimonium contrahi possit per Epistolam?  
 256. In quo consistat essentia Matrimonij?  
 257. An consensus contrahentium semper sit necessarius?  
 258. 259. 260. Etiam de absoluta DEI potentia?  
 261. 262. 263. Utrum ad substantiam Matrimonij pertineat consensus in obligationem alteri, si petat, tradendi corpus suum ad actus conjugales ex se aptos ad generationem proles?  
 264. Qualis debeat esse consensus ad Matrimonium requisitus?  
 265. 266. 267. Quid dicendum de eo, qui cum una Matrimonium contraxit fide, dein cum alia verè?  
 268. 269. Quomodo delinquit, & ad quid obligetur fide contrahens?  
 270. 271. 272. An casu, quo Matrimonium est nullum ob defectum consensus, ad hoc revalidandum requiratur consensus utriusque?  
 273. Quomodo consensus sit exprimendus?  
 274. 275. 276. An necessaria sint verba formalia?  
 277. 278. Quid in his spectandum?  
 279. Quam fidem mereatur interpres, si per hunc celebretur Matrimonium?  
 280. 281. An validum sit contractum contra Legem, vel consuetudinem Regionis?

**Q**Uæritur I. quid sit Matrimonium? R. ut de quavis alia re, ita etiam de Matrimonio duæ circa hoc fieri quæstiones possunt. I. quid nominis? 2. quid rei sit? Atque hinc.

Dub. I. quid nominis sit Matrimonium, seu quæ sit Etymologia istius nominis? R. Matrimonium à Matre dicitur, non à Patre; cujus plures congruentias, adducit Nicol. Motius de Matr. in princ. n. 1. duæ verò videntur potissimæ. Prima est; quia Matrimonium præcipuè spectat procreationem proles, proles autem certa patrens est mater, pater verò incertus, & ex Nuptijs solâ Juris præsumptione ostenditur, non vera, certaque probatione l. quia semper 5. ff. de in Jus vocand. l. filium 6. ff. de bis qui sui, vel alien. jur. l. Lucius 83. ff. de condit. & demonstr. Secunda; quia matris onus gravius est, quàm patris, cum illa prolem in utero & extra istum substantiâ suâ alat: atque ut c. fin. de conver. infidel. textus habet, hæc ipsi ante partum onerosa, in partu dolorosa, & post partum laboriosa esse noscitur.

**222** Præter Matrimonij nomen tria alia eidem dantur, quæ tamen revera Synonyma sunt, licet data ex causis diversis. I. enim dicitur Consortium à communicatione, & communione ejusdem sortis, & conditionis eò, quòd conjuges bonorum, & jurium inter se consortes sint l. nuptie 1. ff. de rit. nupt. 2. Conjugium ab effectu; quia duos, ut fiant una caro, conjungit, quasi sub uno jugo: quæ conjunctio initiat per consensum animorum, qui datur in Matrimonij contractu; perficitur conjunctione corporum, quæ contingit in summatione ejusdem. Quod explicans

S. Ambrosius can. cum initiatur 5. caus. 27. q. 2. relatus ait: Cum initiatur conjugium conjugij nomen adsciscitur; non enim defloratio virginittatis facit conjugium, sed pactio conjugalis: denique dum jungitur puella conjugium est, non cum viri admittione cognoscitur. 3. Connubium, vel quod crebrius est, Nuptiæ à nubendo, vel obnubendo; quia olim Sponsæ pudoris gratiâ, quando nubebant, velo se quasi nube tegebant can. femina 7. & can. nec illud 8. caus. 30. q. 5. Unde hodie dum nomine Nuptiarum ordinariè potius solennitas, ac celebritas illa venit, quæ Contractui Matrimoniali conjungitur, ac certis temporibus per SS. Canones prohibetur, quàm Contractus Matrimonialis, qui nullo tempore interdicitur. Wesenbec. ff. de rit. nupt. n. 1. Pal. tr. 28. D. 2. p. 1. n. 1. Vallens. hic §. 5. n. 1. Engl. §. 1. n. 2. König n. 22.

Dub. 2. quid rei sit Matrimonium? 222  
 R. Matrimonium duobus modis accipi potest. I. pro actuali contractu, in quo legitime personæ consensu verbis expresso se invicem obligant ad vitæ Societatem, & generationis usum. 2. & frequentius pro permanente, ac quasi perpetuo jugo viri, & famina: quo sensu ait Gloss. Inst. de patr. potest. lit. O. idem esse Matrimonium quod Conjugium. In utroque sensu accepto Matrimonio accommodari potest Definitio, quam ex c. illud 11. 7. verum de præsumpt. §. nuptie 1. Inst. de patr. potest. & l. nuptie 1. ff. de rit. nupt. communiter sumunt DD. & dicunt, quòd Matrimonium sit legitima conjunctio viri, & mulieris, individuum vitæ consuetudinem continens: si scilicet dictio Conjunctio, dum definitio hæc applicatur contractui Matrimoniali, sumatur



fit causaliter, & efficienter; dum verò applicatur ipsi obligationi Matrimoniali, accipitur formaliter. Unde, quando Matrimonium in prima acceptione sumitur, sensus Definitionis erit, quòd *Matrimonium sit contractus, quo mas, & femina nullo Jure impediti, se ad individuam vite societatem, & mutuam corporum traditionem in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis obligant.* Quando verò in secunda acceptione, hunc sensum pariet, quòd *Matrimonium sit perpetua, & indissolubilis conjunctio, seu vinculum viri, & femine, ortum ex consensu eorum, verbis, vel alijs signis expresso.* Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 1. n. 1.

224 Dicitur autem 1. in Definitione Viri, & Mulieris in numero singulari; quo innuitur Polygamiam, & multo magis Polyviriam esse illicitam: de quo Tit. 4. de Spons. duor. ex instituto. Imò nec cuiuscunque cum quacunque, etiam unâ licet contrahere; quia Jure tam naturali, quàm positivo Ecclesiastico certa constituta sunt impedimenta, quæ Matrimonij contractum vel omnino irritum, vel saltem illicitum faciunt: hinc in explicatione Definitionis additur, *Nullo Jure impediti.*

225 Dicitur 2. *Conjunctio*, scilicet per consensum de præsentis animorum, non verò per conjunctionem corporum; nam conjunctio corporum non est de substantia Matrimonij; quia Matrimonium non concubitus, sed consensus facit l. nuptias 31. ff. de R. J. Neque obstat textus canon. non est dubium 16. cum seq. caus. 27. q. 2. ubi dicitur, *Non est dubium, illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua commissio sexus non docetur fuisse;* quia ut advertit editio Gregoriana, textus iste non reperitur in Augustino, ex quo eum citat Gratianus, videnturque esse Summarium *can. seq.* quem & ipsum depravatè legit Gratianus, ut videre est in eadem Gregoriana editione, *Nec etiam obstat*, quòd Matrimonium efficiat, ut duo sint in carne una, quod non videtur efficere ante copulam; quia, ut notat Vallens. hic §. 5. n. 5. esse duos in carne una non est commisseri, sed haberi tanquam carnem unam, quod fit per hoc solum, quòd uterque alterius corporis potestatem habeat. Porro potestas hæc, quam habet conjux in corpus conjugis, est quidem jus in rem, sed non propriè dominium, ne fateri cogamur alterum alterius mancipium, seu servum esse, erit igitur tantum jus utendi corpore conjugis ad opus generationis eo fere modo, quo jus utendi alieno horto alicui ad certum finem concedi solet. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 1. n. 1. Less. l. 2. de Just. c. 3. n. 7.

226 Dicitur 3. *individuum vite consuetudinem continens*; quo Matrimonium distinguitur à Concubinato, qui tantum ad tempus initur, quamdiu placuerit: & simul innuitur, R. P. Schmalzgrueber L. IV.

tur, Matrimonio majorem, quàm alijs omnibus contractibus humanis firmitatem, & indissolubilitatem competere; nam alijs omnes contractus, etsi mutuo consensu constituti sint, eodem iterum dissolvi possunt: Matrimoniorum non item; neque enim Matrimonium ad tempus contrahi potest *can. solet 6. caus. 32. q. 2. c. fin. de condit. apposit.* Porro hunc perpetuum, & indivisibilem nexum Matrimonium obtinet parim suapte naturâ, ob commodum prolis generandæ, meliùsque educandæ, parim verò, & multo magis ex DEI primæva institutione, & magni Mysterij causâ, ut constat ex Apostolo Eph. 5. & notat Laym. n. 1. c. 5. posterior. Hinc meritò per Jus Canonicum abrogatæ sunt Leges Civiles, quibus præter Matrimoniorum naturam ista etiam quoad vinculum dissolvi poterant ff. de divort. & C. de repud. quòd repugnarent Legi Evangelicæ, quâ Christus, sublato libello Repudij, quo Judæis uxorem adulteram dimittere, & aliam ducere permittebatur, Matrimonia restituit primævo statui, & indissolubilitati suæ, potestate tamen relicta Ecclesiæ id dissolvendi tam quoad cohabitationem, & thorum, quàm etiam quoad vinculum per Professionem Religiosam, & Dispensationem Apostolicam, si consummatum non sit: de quo suis locis dicitur.

Quæritur 2. quotuplex sit Matrimonium? R. triplicem maximè hujus divisionem invenio.

I. Dividitur in Matrimonium Legitimum, Ratum, & Consummatum. Legitimum tantum illud est, quod legitimo consensu inter personas non impeditas contractum est, non tamen Ecclesiæ ratificationem, aut rationem Sacramenti habet: quale olim in Lege Naturæ, & Mosaica, ac hodie initur inter Judæos, & Gentiles *can. fin. §. item illud caus. 28. q. 1. c. quanto 7. §. nam etsi de divort.* Ratum, live Ecclesiæ ratificatione approbatum est, quod secundum Leges Divinas, & Ecclesiasticas sanctiones contrahitur à fidelibus, seu Baptizatis, inter quos tamen post illud contractum nondum intercessit commercium, seu copula carnalis: & de hoc accipienda est Regula l. nuptias 31. ff. de R. J. quòd *Nuptias non concubitus, sed consensus faciat.* Consummatum denique, quod accedente carnali copula perfectum, atque completum est.

Ut verò tale, seu Consummatum Matrimonium dici possit, requiritur, 1. ut copula carnalis sit perfecta, & sufficiens ad generationem humanam: & hinc non sufficit imperfecta, etiam per penetrationem vas muliebris, nisi seminis effusio consequatur; & multo minus sufficienti tactus, oscula, vel etiam pollutio extra vas naturale *can. Lex Divina 18. caus. 27. q. 2. can. extraordinaria 11. caus. 35. q. 3. c. ve-*

C

TIB



*rim 2. de convers. conjugat. Sanch. l. 2. de Matr. D. 21. n. 5. Bolco de Matr. D. 11. concl. 10. n. 358. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 1. n. 50. Et duobus seqq. 2. ut consensus legitimus, seu Matrimonium ratum præcesserit; nam si copula habeatur ante contractum Matrimoniale, ex ea non inducitur Matrimonij consummatio. Ratio est; quia, quod non est, consummari non potest. sed ante contractum Matrimonium non est Matrimonium. ergo &c. Erit proinde talis copula merè fornicaria, neque indissolubilitatem, aliòsque effectus Matrimonij consummati operabitur.*

229. Addunt aliqui 3. ut ejusmodi copula intra primum bimestre post Matrimonij contractum non sit per vim extorta; nam per ejusmodi copulam negant consummari Matrimonium cum Abb. in c. de convers. conjugat. in quam sententiam etiam inclinatur König hic n. 82. §. haec communem, nixus his fundamentis. 1. quia Matrimonium consummatum repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, sed istam unionem ea solum copula repræsentare potest, quæ est voluntaria, si quidem unio Christi cum Ecclesia omnino voluntaria est. 2. Matrimonium ratum, quatenus est repræsentativum unionis animæ fidelis per Charitatem cum DEO, necessariò consensum requirit. ergo etiam Matrimonium consummatum, quatenus est repræsentativum unionis Christi cum Ecclesia. 3. tunc in esse consummati per copulam constituitur Matrimonium, quando per actum Justitiæ commutativæ conjux perit, & reddit, quod debet, atqui hoc non contingit, si intra bimestre à die contracti Matrimonij copula extorqueatur vi, cum unus alteri ante lapsum duorum mensum non debeat, & debitum tantum sit conditionale, sub hac scilicet conditione, Nisi intra bimestre Religionem ingrediar.

230. Sed dicendum, Matrimonium consummari, & fieri prorsus indissolubile etiam per copulam primo bimestri per vim extortam. Ita Angel. V. Matrimonium 4. n. 7. Covar. p. 2. de sponsal. c. 7. §. 4. n. 10. Henric. l. 11. de Matr. c. 8. n. 10. Rodriq. tom. 1. summa. edit. 2. c. 239. n. 2. Petr. de Ledesm. de Matr. q. 61. art. 1. fol. 583. Barbosa. ff. solut. matr. p. 2. Rubr. n. 106. Sanch. l. 2. de Matr. D. 22. n. 4. dicens esse certam sententiam. Ratio est; quia per copulam carnalem etiam vi extortam conjuges efficiuntur una caro, & ex tali copula nascitur affinitas, quæ ex Matrimonio solummodo non nascitur. Respondet quidem P. König l. cit. ad hoc Argumentum retorquendo in copulam fornicariam; nam etiam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur, teste Apostolo 1. Corinth. 6. v. 16. & ex quavis copula illicita oritur impedimentum affinitatis tot. tit. de eo, qui cognovit &c. & Trid. sess. 24. c. 4. de reform. Matr. unde

concludit requiri, ut talis sit copula, quæ fiat per debiti redditionem, & quæ repræsentet unionem Christi cum Ecclesia. Sed ampla disparitas est inter copulam fornicariam, & eam, quæ per vim extorta à conjuge est; nam illa initur extra Matrimonium, hæc inter conjuges; ex illa orta affinitas se extendit ad secundum duntaxat gradum, ex hac confurgens ad quartum usque se porrigit &c.

Neque contrarium probant Argumenta n. 229 allata. Ad 1. Argumentum hoc nimium probat; probaret enim, quoddam neque per copulam post bimestre vi extortam consummetur Matrimonium: quod durum videtur dicere. Dicendum ergo, quoddam etiam copula vi extorta à conjuge repræsentet unionem Christi cum Ecclesia, non quidem quoad modum; nam unio Christi cum Ecclesia spontanea est: sed quoad substantiam; quia per talem copulam conjuges fiunt una caro, sicut Christus per carnem est unitus Ecclesie. Ad 2. quoddam Matrimonium ratum necessariò consensum liberum postulet, tum natura Contractus postulat, quæ consensu contractentium constituitur, tum Jure factis expressum est, quo constitutum est, ut Matrimonia essent liberrima: nihil tale habetur de Matrimonio consummato; unde in ratione consummati constituetur etiam per copulam vi extortam à conjuge. Ad 3. Major Propositio asseritur ex suppositione sententiæ; ex hæcenus autem dictis factis ostensum videtur consummari Matrimonium per copulam obtentam à conjuge etiam per injuriam.

II. Dividitur Matrimonium in Matrimonium Verum, Præsumptum, & Putativum. Verum est, quod in veritate, & cum valore contractum, atque ut tale probatum est uno ex modis, quo cætera negotia probari solent. Præsumptum, quod à Jure præsumitur. Putativum quod putatur legitime contractum esse, cum tamen ob latens aliquod impedimentum à parte rei sit nullum.

Dub. 1. quomodo probetur Matrimonium? 1. in specie probari potest 1. per attestationem Parochi, affirmantis illud in sua, & testium præsentia contractum fuisse; hic enim tanquam de re ad suum officium spectante atreitas, plenam fidem meretur. Rot. tom. 1. recent. p. 4. decis. 610. n. 3. Et decis. 661. n. 4. 2. per duos testes, etiam faminas bonæ famæ: & admittuntur etiam parentes, & consanguinei, nisi ob disparitatem conditionis, aut divitiarum fiant suspecti c. super eo 22. de test. b. 3. ex Libro Matrimoniorum, qui etiam mortuis Parocho, & testibus, plene probat Matrimonium, ut pote in re, ad officium Parochi pertinente, scriptus. Rota p. 1. divers. decis. 750. n. 10. Mascard. de

Pro-



*Probat, concl. 673. n. 18.* 4. ex confessione conjugum, vel nominatione, h. e. quando vir, & mulier vel in communi colloquio, vel in literis ad se datis se invicem appellant conjuges, & ista illum maritum, hic ipsam uxorem, Abb. in c. lator. 5. in 6. qui fil. legit. Paris. conf. 55. n. 1. l. 4. Corat. l. 3. Mis. ell. jur. c. 4. n. 7. 5. ex diuturna cohabitatione maris, & feminæ honestæ l. in liberæ 24. ff. de rit. nupt. præcipue si accedant alia admnicula, puta, promissio dotis cum contractu Sponsalium, licentia Ordinarij de contrahendo Matrimonio in domo privata, remissio publicationum, aut præstatio alimentorum, Rota decis. 444. coram Card. Cavalerio, Felin. in c. illud n. 10. § 11. de præsumpt. 6. si mulier uia sit vestibus, quibus alix nuptæ viri solent. Alex. conf. 151. n. 10. l. 5. aut viri ob mortem mulieris, quam aliunde cognatam esse non constat, affirmat vestes lugubres. Cephal. conf. 435. n. 66. § 67. 7. si publica vox, & fama ferat eos esse conjuges c. illud cit. & ibi Abb. n. 4. de præsumpt. Puteus decis. 173. l. 2. Rot. p. 4. divers. decis. 273. n. 11. Vide Malcard. de probat. concl. 124. § seqq. qui concl. 1035. n. 22. bene notat, discrimen quoad probationem faciendum inter casum, quo agitur de Matrimonio sustinendo, & inter casum, quo agitur de eodem dissolvendo: nam in primo casu sufficiunt probationes leviores, quod causa Matrimonij sit favorabilis; in secundo autem concludentes, quia eatenus est causa ardua.

Dub. 2. quibus casibus Jura præsumant Matrimonium initum? 2. tribus maxime casibus. 1. quando post Sponsalia, inter duas personas habiles absolute inita, secuta est copula carnalis inter easdem; nam hoc casu consensus de futuro præsumitur transisse in consensum de præfenti & copula admisa affectu conjugali c. veniens 15. & c. is quisidem 30. b. tit. 2. quando post Sponsalia inita sub conditione, ante hujus eventum inter Sponsos intercessit carnale commercium; quia Ecclesia eo casu præsumebat Sponsos recessisse à conditione, adeoque voluisse pure, & absolute contrahere Matrimonium c. per tuas 6. de condit. apposit. 3. quando post Sponsalia de præfenti ab impuberibus, in quibus malitia non supplet ætatem, adeoque invalide contracta, inter eosdem, ubi pubertatem adepti fuerint, interveniunt signa ratificati consensûs, qualia sunt non tantum carnis copula, sed etiam oscula, amplexus, munera, cohabitatio c. us. S. idem quoque de despons. impub. in 6. Verum hodie post Tridentinum Matrimonia hæc præsumpta non amplius locum habent, ubi dicta Synodus quoad Decretum, Matrimonia clandestina irritans, receptum est, prout dictum est n. 118. supra.

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

Dub. 3. quænam requirantur, ut Matrimonium Putativum habeat vim legitimandi proles inde susceptas, & alios effectus Juris? 2. duo apprimè sunt necessaria. Primum est, ut contrahatur cum bona fide, saltem ab uno ex conjugibus ignaro impedimenti c. ex tenore 14. qui fil. legit. ita tamen, ut bonam fidem nec error Juris, nec dubitatio circa Matrimonij valorem excludat. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 2. §. 1. n. 9. & in dubio hæc bona fides præsumatur. Gutier. c. 71. de Matr. n. 4. Alterum, ut Matrimonium contrahatur publice, & in facie Ecclesiæ, i. e. coram Parocho, & testibus, & præmissis, vel saltem legitime dispensatis denuntiationibus; alioquin, si Matrimonium clandestinè celebratur, scientia impedimenti præsumitur c. fin. §. si quis verò de clandest. despons.

III. Dividitur Matrimonium in Canonicum, & Politicum, seu Civile. Canonicum est in quo concurrunt ea, quæ à SS. Canonibus ad Matrimonium præscripta sunt. Politicum, in quo concurrunt etiam illa, quæ civiliter, & politicè requiruntur ad Matrimonium, varæ nimirum solemnitates, pacta dotalia, traductio in domum mariti, consensus parentum &c. sine quibus Matrimonium initum validum quidem est, ut suis locis dicitur, illegitimum tamen reputatur. Indeque tantum illa vocatur Uxor, quæ ducta est in Matrimonio prædictis solemnitatibus instructo; quæ autem est ducta in Matrimonio ijs solemnitatibus destituta, dicitur Concubina can. 15. qui 4. & can. seq. dist. 34.

Perinet huc Matrimonium ad Moralem, & gamaticam contractum seu, ut alij vocant, Matrimonium conscientie, quod nihil aliud est, quam legitima conjunctio viri cum femina inferioris conditionis, eo pacto inita, ut uxor, & liberi inde nati dono nuptiali (quod Morgengaba, & corruptè Morgantica dicitur) vel alia certa portione, tempore Sponsalium destinata, contenti sint, & à cæteris bonis avitis, ac paternis abstineant per textum l. 2. feud. tit. 29. De hoc Matrimonio.

Dub. 1. an licitum sit ejusmodi pactum, & conventio? Videtur tenenda negatva ex eo, quod, ut l. cum ratio 7. ff. de bon. damnat dicitur, ipsa ratio naturalis; quasi Lex quedam tacita, liberis parentum hereditatem propter jus Suietatis addicat; ut inde legitimam vitæ sustentationem habere possint.

Sed dicendum esse licitum. Ita Myler. ab Ehrenbach Gamolog. Person. illustr. c. 6. n. 12. § 13. König hic n. 91. quest. 1. & alij. Ratio est 1. quia nullam præfert turpitudinem, sed honestas ejus ex fine satis relucet; inventum enim est, tum ut maritus, non valens continere, sit extra peri-



periculum illiciti concubitus, quæ ratio innuitur *l. 2. feud. tit. 29.* tum ut liberis prioris Matrimonij, aut Agnatis per divisionem bonorum præjudicium non creetur, sicque in suo nitore, & decore conferventur familiæ Illustres. 2. nec etiam contrarium est substantiæ Matrimonij; nam ea, quæ ita ducitur, est verè uxor, & filij inde suscepti sunt legitimi, solùmque amputantur nonnulli effectus Civiles, ut scilicet uxor non coruscet radijs mariti, ut filij ex ea suscepti familiæ paternæ insignibus non utantur; neque in dignitate, aut ditionibus patris succedant. 3. iustitiam talis pacti confirmant exempla Virorum Illustrum, qui Matrimonia *ad Morganaticam* ex justa Statûs ratione contraxerunt, quorum meminit Myler. *l. cit.*

*Ad rationem dubitandi*, etsi sustentatio debeatur liberis, non tamen præscripta est certa quantitas: hinc si iisdem in Morganatica, vel alio modo relinquatur tantum, quantum pro sustentatione eorum requiritur (quod in Pacto quæstionis fit) contra jus naturale nihil committitur.

<sup>239</sup> Dub. 2. utrum Pater illustris Pactum *ad Morganaticam*, stante Matrimonio, in præjudicium Liberorum primi Matrimonij, & Agnatorum revocare, & immutare possit? Sunt, qui cum Annæo Roberto *l. 1. rer. Judic. c. 15.* negant, eò, quòd mutare consilium quis non possit in alterius detrimentum. prout dicitur *Reg. mutare 33. in 6. Conf.* quia Pactum hoc *ad Morganaticam* est omnibus suis partibus perfectum. actus autem obligatorij jam firmi penitentiam retractari non possunt, *ne adversus conventionem suam pacifens veniat l. siquis 29. C. de Pact.*

Contra alij cum Mylero ab Ehrenbach *c. 6. cit. n. 37.* revocationem istam, & immutationem Patri Illustri concedunt, ex ratione, quòd Pactum *ad Morganaticam* respiciat futuram successionem liberorum, & per consequens revocabile sit instar aliarum ultimarum Voluntatum *arg. l. fin. C. de Pact.* ubi Jason. *n. 12.* pro Regula ponit, quòd consensus ejus, qui in contractum super ipsius hæreditate per aliquos celebratum consentit, ultimæ Voluntatis naturam sortiatur, & efficiatur ambulatorius usque ad mortem ex sola voluntate consentientis.

P. König *hic n. 91. quest. 2. in fin.* hanc posteriorem sententiam eatenus saltem veram esse existimat, quatenus putat Patrem liberis Morganaticis in Testamento amplius aliquid posse relinquere, quàm pacto provisum sit, ex illis scilicet bonis, de quibus testandi facultatem habet; nam hæc transferre in extraneum potest. igitur etiam in filium ex Matrimonio Morganatico natum.

<sup>240</sup> Dub. 3. an si filij, aut nepotes prioris Matrimonij absque legitimis hæredibus

decedant, eo casu filij, ex Matrimonio *ad Morganaticam* nati, eorumque descendentes legitimi succedant in bonis patris, aut avi? *h.* hic distinguendum est inter bona Feudalia, & Allodialia. In bonis Feudalibus non succedunt, sed ipsis exclusis, admittuntur proximi agnati, ut dictum est *Libr. 3. Tit. 20. n. 113.* nisi fortè ex pacto, quòd ad Morganaticam fecit Pater, aliud constet. In Allodialibus omnino succedunt, ut cum alijs notat König *hic n. 91. q. 3.* quia illorum jus solummodo suspensum fuit bisj auf cinen ledigen Anfall / & quamdiu superstites erant liberi Matrimonij prioris, ergo his morte sublati, fortietur effectum suum, idque ex præsumpta voluntate patris, qui voluisse creditur, ut alijs liberis non extantibus, filij ex Matrimonio Morganatico nati, tanquam legitimi, collateralibus præferantur, utpote in quo præ illis majori affectu terri præsumitur.

Quæritur 3. quinam Matrimonia contrahere possint? *h.* possunt omnes, qui ab eo contrahendo non prohibentur; est enim Edictum de Matrimonio contrahendo prohibitorium, ut quicumque non prohibentur, cons. admittantur. Et procedit hoc, etiam si Excommunicati sint; nam licet ita contrahendo peccent, validè tamen contrahunt, cum Matrimonia illorum nullam irritentur. *Zoccl. hic n. 58.*

Prohibentur autem 1. ob defectum iudicij Infantem, furiosum, amentes extremè, seu cum temporario quodam mentis exilio ebrij, quamdiu infantia, furor, aut ebrietas durat; quia consensu libero, & debita deliberatione carent. Vallens. *hic §. 10. n. 1. König n. 94. ibid.*

2. Ob vitium corporis muti, surdi, & cæci simul, prout de Sponsalibus dictum est *n. 17. supra;* quia vel non intelligunt sufficienter requisita Matrimonij, & obligationes annexas, vel saltem consensum suum sufficienter explicare, & secum contrahentis voluntatem percipere nequeunt. Vallens. *l. cit. König n. 95.* Item impotentes, seu inepti ad copulam conjugalem, ut qui finem Matrimonij assequi nequeunt *6. ex litteris 3. & c. seq. de frigid. & malef.*

3. Ob defectum ætatis impuberes, seu <sup>241</sup>mas ante 14. & femina infra 12. ætatis annum; quia in his communiter deficit vis, ac naturalis potestas generandi, quamquam malitia nonnunquam ætatem suppleat: de quo *Tit. seq.* Senum, qui sexagenarijs majores sunt, nuptias olim improbavit Lex Julia, & Papia, sed Justinianus *l. sancimus 27. C. de Nuptijs* iisdem illarum contractum permisit: estque Lex ista conformis doctrinæ Ecclesiæ, quæ quantumcunque fenes, modò ad actum conjugalem habiles sint, à Nuptijs contrahendis non excludit.

4. Ob personam conditionem, ac Statum <sup>242</sup>1. Clerici in SS. constituti, & Religiosi pro-



professi juxta dicenda infra Tit. 6. qui Clerici, vel vovent. 2. Servi de Jure Civili l. cum ancillis 3. C. de incest. & inutil. nupt. & l. servi 23. junct. Gloss. C. ad Leg. Jul. de adulter. Sed hoc postea SS. Canones correxerunt, & inter eos quoque

inita Matrimonia voluerunt esse legitima, nisi casu, quo liber quidam ancillam duxit putans esse liberam, aut libera nupit servo, quem talem esse nescijt: de quo infra Tit. 9. de conjug. servor.

3. eodem Jure Civili nuptiæ non contrahantur, nisi inter Cives Romanos pr. Inst. de Nupt. Sed hæc dispositio ab usu recessit, dum ipsi Imperij Principes cum exteris Regibus, & Dynastijs pro libitu Matrimonia contrahunt, & affinitates mediante Matrimonio sibi firmant. König n. 96.

244 5. Ob inequalitatem Dignitatis. Ob hanc olim Viris Senatoriæ dignitatis non licebat in thalami consortem sibi adificere feminam vilem, v. g. libertinam, scenicam, aut scenicæ filiam l. oratione 16. l. Lege Papia 23. Lege Julia 44. & alijs passim ff. de rit. nupt. Sed ab hoc Jure recessit Imp. Justinianus, dum Novell. 78 c. 3. & Novell. 117. c. 6. indulgit, ut etiam maximis decorati Dignitatibus cum libertis, & alijs vilioribus faminis nuptias iure potuerint: quod ipsum approbant SS. Canones, & praxis sequitur, quæ constat, quandoque Illustres ad humiliorum se vota demittere, Zael. hic n. 60. König n. 97.

245 6. Ob utilitatem publicam. Hujus intuitu Jure Civili interdicitur Matrimonium Præsidis cum Provinciali, idque ob metum concessionis l. siquis 38. l. qui in Provincia 57. l. eos qui 65. ff. de rit. nupt. l. in C. si quacunq. prædit. potest. nisi officio finito, aut deponatone ante munus susceptum facta l. siquis cit. & l. si contra 6. C. de Nupt. Similiter eodem Civili Jure prohibebantur nuptiæ Tutoris, ejusque filij cum pupilla, ne rationes tutelæ interciperentur l. siquis Tutor 60. l. non est 67. ff. l. seq. ff. de rit. nupt. tot. tit. C. de interdicit. Matr. int. pupill. & tutor. nisi rationibus à Tutore redditis, & lapso tempore, intra quod pupilla restitutionem in integrum impetrare potuit l. quanquam 62. §. fin. ff. de rit. nupt. Hoc tamen utrumque Jure Canonico, & hodiernis moribus non amplius obtinet.

7. Ob Impedimentum quodcumque sive impediens, sive dirimens; nam prius Matrimonium reddit illicitum, posterius, si revera subsit, invalidum: de quo infra.

246 Dub. 1. an valeat Matrimonium à parentibus nomine liberorum contractum, si isti præsentibus taceant, & non contradicant? Affirmant Covar. p. 2. de Sponsal. c. 4. pr. n. 7. Sanch. l. 1. de Matr. D. 23. n. 3. Bosco sect. 3. concl. 6. n. 210. Zael. hic n. 64. Schambog. n. 132. Fun-

damentum principale istorum est paritas cum Sponsalibus, quæ si à parentibus liberorum nomine contrahantur, & isti taceant, nec contradicant, sustinentur pro validis, ex præsumpto liberorum consensu, ut dictum est n. 61. & patet ex c. un. de despons. impub. in 6. atqui hic liberorum consensus non minus præsumi potest, quando tacent ad Matrimonium, quod nomine ipsorum parentes contrahunt; nam eadem pugnat ratio, scilicet præsumpta filiorum confidentia erga parentes, quæ judicant parentes pro ijs consilium semper suscipere optimum. ergo &c. Conf. ex vulgata Regula. Qui tacet, consentire videtur: quæ certissima redditur, quando, qui tacet, tenebatur non tacere, sed reclamare, & contradicere.

Sed probabilius negatur habendum pro valido, si filij consentium suum nullo alio exteriori signo demonstrant. Ita post alios Pont. l. 2. de Matr. c. 14. n. 3. Magnif. P. Schmier. p. 2. de Matr. c. 2. n. 14. & duob. seqq. P. König hic n. 100. §. hinc sententia, ubi putat id saltem obtinere in terris, in quibus Trid. promulgatum, & receptum est; nam juxta hoc Sponsus, & Sponsa consentium suum exprimere debent coram Parocho, & testibus, ad quod taciturnitas liberorum vix potest sufficere, nisi prius mandatum dederint, ut nomine suo contrahant Matrimonium. Sed ratio videtur probare universaliter; quia, quod parentes pro liberis sine mandato possint contrahere Sponsalia, est aliquid singulare, & exorbitans à Jure communi. igitur juxta Reg. que à Jure 28. de R. J. in 6. hæc facultas in consequentiam non est trahenda, & extendenda ad Matrimonium: præsertim cum inter Sponsalia, & Matrimonium non sit modica disparitas; Matrimonium enim inducit obligationem ætioram, & vinculum indissolubile, ratione cujus plenam exigit libertatem, quæ non ita exactè desideratur in Sponsalibus, utpote quæ multis ex causis dissolvi possunt. Ex quo patet ad Argumentum sententiæ affirmantis.

Dub. 2. an Matrimonium contrahi per Procuratorem possit? 2. affirmativè; nam ita habetur expressè c. fin. de Procurat. in 6. ex quo certum fit, id licuisse saltem ante Tridentinum. An verò hoc procedat etiam post Trid. controversia est. Aliqui, quos recenset Petr. de Ledesm. q. 42. art. 1. dec. 7. & l. 2. de Matr. D. 11. n. 1. putarunt c. fin. cit. per laudatam Synodum fuisse correctum. Fundantur 1. quia ideo olim Matrimonium per Procuratorem contractum valebat, quod eo tempore ad illud sufficeret mutuis nudus consensus, sed hodie non sufficit nudus consensus, sed is coram Parocho, & testibus præstari debet, prout habetur sess. 24. c. 1. de reform. Matr. ergo &c. 2. idem Trid. l. cit. decernit, ut omnino coram Parocho,



cho, & testibus contrahatur, ita quidem, ut Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat, *Ego vos in Matrimonium conjungo*. Sc. ac proinde supponit, ambos contrahentes debere per se immediatè, & præsentialiter exprimere consensum suum, non autem mediante Procuratore, vel interuntio. 3. ab eodem Concilio præscribitur nova Matrimonio forma, quæ per æquivalens, aut æquipollens suppleri, atque adeo Procuratoris ministerio compensari nequit. 4. Parochus, & testes debent posse testari de Matrimonio rite contracto, non autem testari possunt de isto, si consensus ante ipsos per solum Procuratorem præstetur; quia nesciunt, an principalis mandatum dederit, vel an non interea eundem revocaverit. 5. ex Matrimonio per Procuratorem contracto oriuntur multa non levia inconvenientia; quia contingere potest, & sæpe contingit aliquem ex contrahentibus tempore, quo celebratur, esse mortuum, vel consensum revocasse, vel cum non satis cognitam habeat personam, cum qua per Procuratorem contrahit, compelli cum gravi sua displicentia eidem convivere.

249 Sed dicendum, & tanquam certum tenendum, quod Matrimonium etiam in illis locis, in quibus Trid. receptum est, per Procuratorem contrahi etiamnum possit. Ita Henric. l. 11. c. 2. n. 2. Sanch. l. 2. de Matr. D. 11. n. 20. Gutier. c. 43. de Matr. n. 10. Conink D. 22. dub. 9. n. 76. Pal. tr. 28. D. 2. p. 3. n. 9. Bosco scilicet. 6. concl. 1. n. 17. Zoel. hic n. 65. Schamb. n. 133. König. n. 101. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 2. n. 19. & alij plures apud, istos ex quibus nonnulli temeritatis notam incurrunt adversè sententiæ. Patet 1. ex notoria Ecclesiæ totius praxi; passim enim post Trid. præsertim inter Personas Principes, Matrimonia per Procuratores celebrantur: in quæ, si irrita forent, Ecclesia sine intolerabili errore consentire non posset, prout tamen defecto consentit. 2. quia Trid. tantum irritavit Matrimonia clandestina, seu ita inita, ut in facie Ecclesiæ sufficienter probari nequeant. atqui tale non est Matrimonium per Procuratorem contractum coram Parocho, & testibus; quia horum testimonio contractus celebratus sufficienter probari potest, ita, ut contrahens in foro externo teneatur eidem stare. 3. Decreta correctoria Juris sunt strictæ interpretationis, & extra casus in propria verborum significatione comprehensos extendi non debent. atqui tale est Decretum Trid. quo Matrimonium clandestinum annullatur. igitur ab hoc ad contractum per Procuratorem, cum clandestinum non sit, extendi non debet.

250 Neque urgent Argumenta opposita. Ad 1. discrimen inter Jus antiquum, & novum introductum per Trid. hoc est, quod

olim Matrimonium per Procuratorem potuerit contrahi nudo consensu absque Parocho & testibus; nunc verò requiratur istorum præsentia. Ad 2. imprimis interrogatio illa, & verba Parochi non sunt essentialia: deinde etiam Procurator interrogari potest de consensu sui principalis, & hoc explicato, Parochus dicere, *Ego vos, nomine procuratorio comparentes, conjungo*; vel *Ego vos Procuratores, quatenus representatis vestros principales, conjungo*. Ad 3. Trid. præscripsit novam formam Matrimonio ex parte actus, & objecti, requirendo præsentiam Parochi, & testium, non verò ex parte subjecti, seu personæ contrahentium: & hinc præsentia Parochi, & testium per æquipollens suppleri non potest, potest autem suppleri præsentia contrahentium per ministrum, & procuratorem; quia cum ex vulgata Regula, *quod per alium quis facit, per seipsum censetur facere*. Reg. qui facit 72. in 6. præsentia Procuratoris æquipollet præsentia principalis. Ad 4. non requiritur, ut Parochus, & testes testentur de Matrimonio, quod reipsa sit validum (hoc enim impossibile est, cum illud invalidum reddi possit ex defectu consensûs merè interni) sed sufficit, quod testari possint de Matrimonio, quod in foro externo habetur, & haberi debet pro valido. de hoc autem testari jam possunt, si Procurator consensum suum nomine principalis coram iisdem ritè explicaverit; quia tale Matrimonium in foro externo habetur pro valido, quamdiu non probatur defectus sufficientis mandati, vel ejus revocatio. Ad 5. Argumentum illud ad summum probat, quod ob illa inconvenientia Matrimonium per Procuratorem contractum irritari potuerit, non verò, quod actu sit irritatum. Adde, omnem contractum humanum aliquibus incommodis semper expositum esse.

Dub 3. quid requiratur, ut per Procuratorem, seu interuntium validè inearur Matrimonium; 1. ex communi DD. sententia requiritur. 1. ut habeat mandatum speciale de Matrimonio contrahendo cum certa persona. 2. ut per seipsum Procurator mandatum hoc exequatur; neque enim substituere alium potest, nisi expressè in mandato hoc ei concessum sit. 3. ut tempore intermedio mandatum non sit revocatum. Deo quo plura dicta sunt Libr. 1. Tit. 38. n. 19.

Addunt aliqui 4. ut Procurator constitutur coram Parocho, & testibus in illis locis, in quibus Trid. receptum est. Fundantur. 1. quia aliàs Parochus, & testes ignorabunt, an revera Procurator mandatum habeat, vel non, & sic testari non poterunt de legitimo contractu Matrimonij; fortè enim mandatum revera Procurator non habet, 2. quia solennitas, requisita ad ali-



aliquem actum; etiam est necessaria ad dandam commissionem faciendi illum actum: & hinc quando Statutum aliquod prohibet donationem fieri absque quinque testibus, vi ejusdem etiam censetur prohibitum mandatum donandi absque illis *l. oratio 16. ff. de Sponsal.* 3. mulier, quia nequit absque consensu viri contrahere, etiam nequit absque illius consensu Procuratorem constituere, sed nullus potest absque Parocho, & testibus contrahere Matrimonium, ergo nec Procuratorem constituere ad contrahendum illud.

852 Sed verius presentiam Parochi & testium non requiri ad valorem mandati Procuratorij, docent Sanch. *l. 2. de Matr. D. 11. n. 23. Gutier. c. 43. de Matr. n. 13. Conink D. 24. dub. 9. n. 78. Pal. tr. 28. D. 2. p. 8. n. 5. Ratio est* 1. quia si Trid. ad constitutionem Procuratoris requisisset presentiam Parochi, & testium, hoc expressisset *arg. l. un. §. ubi autem 11. v. nam si contrarium C. de caduc. tollend.* expressit autem duntaxat presentiam Parochi, & testium in ordine ad contrahendum matrimonium, non verò ad constituendum Procuratorem, ergo &c. 2. Jure antiquo hæc solennitas non petebatur, ergo nec novo Trid. quia hoc circa istam solennitatem nihil innovavit, sed tantum aliquid addidit ex parte formæ, ut scilicet contractus Matrimonij fieret coram Parocho, & testibus, quod etiam fieri per Procuratorem potest. 3. optima interpretis Juris est praxis passim recepta, atque praxis in Ecclesia passim recepta habet, ut post Trid. Matrimonium contrahatur per Procuratorem, & nunquam auditum est presentiam Parochi, & testium servari in mandato Procuratori dando, ergo &c.

Argumenta in contrarium levia sunt. *Ad 1.* etsi ad tollendos scrupulos, & dubietatem de consensu principalis, contrahentis per Procuratorem, consultum sit, ut coram Parocho, & testibus exhibeatur Mandatum Procuratorium, non tamen necessarium est, ut notat Sanch. *l. 5. D. 8. n. 24.* & pro hoc allegat praxim totius Ecclesie; & ratio est; quia etsi hoc casu testes, & Parochus deponere nequeant de valore mandati, utpote quod non viderunt, possunt tamen deponere de Matrimonij contractu exteriori: quod si fiat, jam evitantur incommoda, ob quæ Trid. Matrimonia clandestina sustulit; neque enim qui ita per Procuratorem contraxit, permittetur transire ad alia Vota, nisi postquam mandati nullitatem ostenderit. *Ad 2.* id verum est, quando eadem est ratio in actu & commissione actus; secus, quando diversa, ut in presenti: neque enim ex mandato clandestino eadem incommoda exsurgunt, quæ ex Matrimonio clandestino. *Ad 3.* negatur paritas; quia principalis constituendo Procuratorem ad Matri-

monium contrahendum, non agit in præjudicium Legis, etiam si constitutionem illius non faciat coram Parocho, & testibus, sicut tamen in præjudicium Legis ageret mulier prohibita sine consensu viri contrahere, si Procuratorem sine hujus consensu constitueret ad contrahendum.

Dub. 4. an sicut per Procuratorem, ita etiam per Epistolam contrahi Matrimonium possit? *Certum est*, valuisse hujusmodi Matrimonium Jure antiquo; quia hoc Jure ad valorem Matrimonij plus non requirebatur, quam quod requiritur ad valorem Contractus. Contractus autem ceteri validè celebrari possunt etiam per Epistolam, ergo &c.

An etiam post Trid. id fieri possit, similis controversia est apud DD. qualis est de Matrimonio contracto per Procuratorem. Negant Petr. de Ledesm. *de Matr. q. 45. art. 3. dub. ult. ad 1. Barth. à Ledesm. dub. 18. de Matr. à fol. 1286. Rodriq. tom. 1. summ. edit. 2. c. 216. n. 1. & c. 220. n. 3.* & inclinat Veracruz *Append. ad Specul. dub. 3. in fin.* *Rationem dant*; quia ex Decreto Trid. consensus utriusque contrahentis præstari debet coram eodem Parocho, & iisdem testibus, non autem apparet, quomodo hoc fieri possit mediâ Epistolâ: licet enim is, qui accepit Epistolam, consentiat coram Parocho, non tamen coram eodem consentit is, qui scripsit Epistolam, cum necessarium sit, ut acceptet etiam alterius consensum, cum quo intendit contrahere; hunc autem acceptare non possit, cum adhuc nesciat, an consensurus sit ad oblationem Matrimonij per Litteras factam, ergo &c.

855 Sed communis sententia est affirmativa, quam etiam defendunt Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 254. n. 1. in fin. Henriq. l. 11. c. 2. n. 6. Sanch. l. 2. de Matr. D. 12. n. 3. Gutier. c. 45. de Matr. n. 4. Conink D. 24. dub. 9. n. 80. Pal. tr. 28. D. 2. p. 8. n. 11.* & alij ab his *cit.* quamvis contraria negativa sit tutior, & in praxi tenenda. *Ratio est*; quia ut *n. præc.* dictum est, Jure antiquo traditio, & acceptatio fieri potuit per Epistolam, ergo cum non constet, quòd Trid. in hoc aliquid innovavit, etiam fieri poterit post Trid. modò traditio, & acceptatio utriusque contrahentis fiat coram eodem Parocho, & iisdem testibus. Quòd autem traditio, & acceptatio etiam per litteras fieri possit coram eodem Parocho, & testibus, per duo exempla ostendit Sanch. *l. cit.* *Primum est*; quando Titius scribit Berthæ, quòd non solum ille ipsi corpus suum ad usum Matrimonij tradat, sed etiam ex tunc traditionem sibi à Bertha faciendam acceptet: in hoc casu si Bertha Epistolam istam coram Parocho, & testibus legat, & traditionem sibi factam acceptet, utriusque traditio, & acceptatio facta erit coram



ram eodem Parocho, & iisdem testibus. Alterum, Bertha, postquam accepit litteras à Titio, quibus scribit se accipere illam in uxorem, rescribat Titio, se acceptare ejus traditionem, & vicissim se illi in uxorem tradere: hanc Epistolam si Titius eam recipiens coram Parocho, & testibus legat, & simul coram iisdem in illam traditionem consentiat, jam traditio, & acceptatio coram eodem Parocho, & testibus contigit, Sponsæ quidem per litteras, Sponsi autem per verbalem consensum. Ex quo sequitur Responso ad Argumentum oppositum.

256 Quæritur 4. in quo consistat essentia Matrimonij? In Matrimonio sex diversa inveniuntur. 1. mutuus consensus. 2. traditio corporum mutua. 3. vinculum quoddam ex hoc consensu, & traditione ortum. 4. obligatio mutua ad reddendum debitum, quæ nascitur ex isto vinculo. 5. Jus reciprocum ad hoc petendum, quod surgit ex obligatione hac. 6. denique usus, & consummatio Matrimonij. Ex his.

Certum est 1. quod per consummationem, & copulam carnis compleatur quidem, & integretur Matrimonium inter fideles, seu baptizatos contractum, ut fiat omnino indissolubile, ea tamen consummatio ad substantiam Matrimonij non requiratur, prout patet exemplo Beatissimæ Virginis, quæ cum S. Josepho verum contraxit Matrimonium. *Matth. 1.* & tamen ab eo non est cognita; & liquet ex *Reg. 30. ff. ubi Ulpianus, Nuptias, inquit, non concubitus, sed consensus facit.*

Certum est 2. ad Matrimonium, prout dicit Statum aliquem permanentem, essentialiter non pertinere consensum mutuum, traditionem, obligationem, vel jus conjugum, sed solum vinculum; quia consensus, & traditio mutua sunt aliquid transiens, & causa efficiens vinculi, obligatio autem, & jus ex hoc vinculo tanquam effectus sequuntur.

Certum est 3. ad Matrimonium, prout illud sumitur pro contractu, essentialiter pertinere consensum mutuum; quia sine hoc nullus consistere potest contractus.

257 Dub. 1. an ad valorem Matrimonij consensus contrahentium semper sit necessarius? Quod ad Matrimonium, prout defacto à Deo in Paradiso est institutum, necessarius ille sit, patet ex *can. sufficiat 2. caus. 27. q. 2. c. cum apud 23. & c. tua nos 26. h. t.* & aperte colligitur ex *Florent. Decret. Union. §. septimum, ac Trid. sess. 24. c. 1. de reform. Matr.* Etque hoc ita verum, ut ejus defectus, nulla sive Ecclesiastica, sive Sæculari potestate suppleri possit, ut rectè advertunt *Sylv. V. Matrimonium 2. q. 15. Covar. p. 1. de Sponsal. c. 4. pr. n. 4. & p. 2. c. 2. n. 1. Sanch. l. 2. de Matr. D. 27. n. 2. Wiest. hic n. 135. Ba-*

tio est; quia nulli humanæ potestati concessa à Deo potestas est defectum istum suppleri: imò nec conveniens fuit eam concedi; quia si Matrimonium, mare, & fœmina reluctans, vel ignorantibus, constitui autoritate aliqua humana posset, sperari amor ille mutuus inter conjuges, ita contra, vel præter voluntatem suam conjunctos, nequaquam posset, qui tamen amor maximè necessarius est ad procreationem prolis, rectam illius educationem, & observantiam fidei conjugalis.

An verò consensus iste maris, & fœminæ ita sit necessarius, ut sine illo Matrimoniale vinculum non quidem per absolutam DEI potentiam possit consistere, magna apud DD. est controversia. Affirmant *Sanch. l. 2. de Matr. D. 26. n. 5. Pont. l. 3. de Matr. c. 3. n. 4. & alij DD. magni nominis. Fundantur 1. quia Matrimonium ex essentia sua est conjunctio animorum maris, & fœminæ ad individuum Societatem vitæ. atqui hæc animorum conjunctio nec consistere, nec intelligi sine consensuum unione potest. 2. Matrimonium est traditio ad Statum Matrimoniale, sicut Votum solenne est traditio ad Statum Religiosum, & Religionis susceptæ onera ergo sicut nulla ratione fieri potest Votum absque voventis consensu, ita nec Matrimonium absque consensu conjugum. 3. si DEUS mari, & fœminæ traderet jus mutuum in eorum corpora, ut istorum usus fornicationis culpâ careret, ea traditio utique innotescere utriusque, & ab ijs coëuntibus acceptari, & approbari deberet. atqui hoc modo jam interveniret consensus mutuus supra descriptus. ergo &c.*

Sed adhuc verius est, per absolutam DEI potentiam absque consensu mutuo marem, & fœminam conjungi, & ad vitæ Societatem, & actus conjugales perpetuò obligari posse. Ita *Sot. in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. concl. 1. Henric. l. 11. de Matr. c. 1. n. 3. Petr. de Ledesm. de Matr. q. 45. art. 1. dub. 1. concl. 3. Barth. de Ledesm. dub. 16. fol. 1265. Rebell. l. 2. de oblig. Just. q. 10. n. 26. Conink D. 24. dub. 5. n. 49. Pal. tr. 28. D. 2. p. 5. n. 2. Wiest. hic n. 137. Ratio est; quia DEUS longè perfectus humani corporis, & membrorum, ac facultatum istius dominium habet, quàm homo corporis proprii, quippe qui propriè solum est Uluarius ejusdem. atqui homo vi istius juris, quod ipse habet in corpus suum, potest conjungi tradere jus in illud ad vitæ societatem, & actus conjugales. ergo & DEUS de absoluta sua potentia, ita, ut conjugium inducatur, non voluntate maris, & fœminæ, sibi invicem jus istud concedentium, sed DEI, illud uni tradentis in alterum.*

Neque obstant Argumenta opposita. Ad 1. licet de essentia Matrimonij, prout defacto est institutum, sit consensus mutuus



aut animorum, non tamen est de essentia Matrimonij absolute spectati, & prout sumitur pro vinculo perpetuo, & obligatione ad actus conjugales; quia ut sic spectatum consistit, vel saltem supponit solam traditionem mutui Juris in corpora, quæ haberetur, sive deinde illa fiat ab ipsis conjugibus, ut fit defacto ex institutione Divina, sive à DEO ipso, imponente eisdem obligationem ad perpetuam vitæ Societatem, & actus conjugales, prout imponere ipse de potentia absoluta posset. Ad 2. Negatur paritas; Votum enim ex essentia sua formali est promissio de bono meliore liberè DEO facta, ut patet ex definitione illius Libr. 3. Tit. 34. n. 1. tradita; cons. absque libero consensu non potest concipi: contra ut modò ostensum est, Matrimonium absolute spectatum, & prescindendo à modo, quo defacto est institutum, concipi, & esse de potentia DEI absoluta potest, quin ex libero consensu conjugum coalescat. Ad 3. est eo casu ad excludendum peccatum fornicationis mari, & famina innoscere deberet, quòd à DEO ipsis facta sit traditio Juris in corpora ad actus conjugales, non tamen opus foret traditionem istam ab ipsis acceptari; neque enim novum in jure est, quòd dominium alicui acquiri quandoque sine acceptatione possit. Deinde esto, acceptatio etiam necessaria foret, per hanc tamen non fieret traditio ab ipsis conjugibus, sed tantum à DEO prius facta acceptaretur.

Dub. 2. utrum ad substantiam Matrimonij pertineat consensus in obligationem alteri, si petat, tradendi corpus suum ad actus conjugales, ex se aptos ad generationem prolis? Negat Pont. l. 1. de Matr. c. 18. à n. 7. Nitiur 1. autoritate S. Augusti, l. 3. de bono conjugij c. 1. & l. 23. contra Faust. c. 8. Matrimonium constituentis in sola animorum conjunctione amicabili, vitæque individua societate, etiam sine carnali corporum conjunctione. 2. paritate cum dominio rerum externarum, quod separari ab usu potest, illarumque dominium directum esse penes unum, licet penes illum non sit dominium utile, igitur etiam in matrimonio haberi potest mutua corporum traditio quoad dominium directum, seu proprietatis, quin simul habeatur dominium utile, & in ordine ad usum ejusdem. 3. exemplo Beatiſsimæ Virginis, quæ verum matrimonium cum S. Jolepho iniit, in copulam tamen carnalem non consensit, imò nec potuit consentire, quippe ligata Voto Castitatis, ut cum S. Aug. l. 1. de Virginit. SS. PP. & DD. alij colligunt ex verbis, quæ Archangelo Gabrieli Verbi Divini conceptionem eidem annuntianti reposuit: *Quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco?* Luc. 1. v. 34. 4. conjugium iniiri validè sub conditione Castitatis servandæ potest, R. R. Schmalzgrueber L. IV.

ut Abulens. Num. c. 30. q. 22. Paludan. in 4. dist. 30. q. 2. art. 1. concl. 6. n. 6. & alij docent, atqui per ejusmodi conjugium non transfertur dominium in ordine ad actus conjugales, sed tantum ad individuum vitæ societatem, ergo &c. 5. ab impotentibus, cognita impotentia coeundi, validè iniitur Matrimonium, ut cum Palud. l. cit. docet Medin. de Sacr. Hom. Continent. l. 5. à c. 14. atqui tales corpus suum ad actus conjugales ex se aptos ad generationem prolis, utpote sibi impossibiles, non possunt tradere. 6. si conjuges post consummationem Matrimonij mutuo consensu profiteantur Religionem, perseverat Matrimonium. & tamen cessat mutua obligatio tradendi corporis ad usum generationis.

Verum his non obstantibus, dicendum, etsi ad substantiam Matrimonij non pertineat copula actualis, requiri tamen consensum in obligationem ad actus conjugales ex se aptos ad generationem prolis, saltem implicitum, & virtuale. Ita S. Thom. in 4. dist. 28. q. un. art. 4. Durand. ibid. dist. 30. q. 2. art. 2. Tabien V Matrimonium 2. q. 7. n. 8. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. pr. n. 1. Henric. l. 11. de Matr. c. 15. n. 1. Suar. p. 3. q. 29. art. 2. sect. 1. fin. Petr. de Ledesm. q. 48. art. 1. fol. 277. Valq. in 3. p. D. 125. c. 7. n. 79. Sanch. l. 2. de Matr. D. 28. n. 3. § 4. Perez de Matr. D. 13. sect. 5. à n. 5. Barboſ. in can. institutum 37. caus. 27. q. 2. n. 6. Pal. tr. 28. D. 2. p. 5. n. 5. Vallenſ. hic §. 2. n. 2. Pirh. n. 69. Wiest. n. 131. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 1. n. 13. cum communi aliorum. Ratio est; quia Matrimonialis consensus saltem implicite, & virtualiter ferri debet in vinculum, & obligationem conjugalem. Atqui vinculum hoc, & obligatio essentialiter est non solum ad indissolubilem vitæ Societatem, & cohabitationem, sed etiam ad exhibendos, si exigantur, actus conjugales: quod ostenditur 1. ex ipsa Matrimonij institutione in Paradiso, & verbis DEI illud instituentis: *Quam ob rem reliquet homo patrem suum, & matrem, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Gen. 2. v. 24. 2. ex Apostolo 1. Corinth. 7. v. 3. ubi cum finem conjugij, & obligationem ex ejus contractu ortam exposuisset verbis sequentibus: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro, ejus rationem subjiciens ait: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* v. 4. 3. Ex ratione; quia si vinculum, & obligatio conjugalis essentialiter non actus conjugales, sed individuum vitæ Societatem tantum respiceret, consensus verè conjugalis, ipsumque Matrimonium consistere etiam posset inter patrem, & filiam, matrem, & filium, socerum, & nurum, &c. quia rationes, ob quas Matrimonium inter has personas nequit



consistere; excludunt tantum obligationem ad actus conjugales, non vero ad individuum vitam Societatem: sequelam nemo admittit. ergo &c.

**369** Argumenta in contrarium allata non difficulter dissolvi possunt. *Ad 1. S. Augustinus l. cit.* solum dicit, quod Matrimonium consistere possit sine commercio carnali; non autem negat id constitui per consensum ad actus conjugales reciproce exhibendos implicitum: imò nec negare potuit; cum enim Matrimonium intrinsece ordinetur ad copulam, necesse est, ut is, qui in illud consentit, virtualiter, & implicitè etiam in istam consentiat, & jus ad eam tradat alteri, cum quo Matrimonium contrahit. *Ad 2.* Licet Matrimonium esse possit sine usu ejusdem, non tamen contrahi potest, quin contrahentes sibi invicem, saltem implicitè, dent jus ad ejus usum: & in hoc dominium, quod per Matrimoniale contractum acquiritur, à dominio directo in alijs rebus distinguitur; & ratio differentie est, quod istud non constituitur in dominio utili, constituitur vero in Jure ad actus conjugales jus conjugale. *Ad 3.* licet Beatissima Virgo, obstante Castitatis Voto, non consenserit, nec consentire potuerit in ipsum actum conjugalem, consentire tamen absque lesione Voti, vel periculo illud lædendi potuit, imò defacto consentit virtualiter, & implicitè in obligationem tradendi corpus suum ad ejusmodi actus; quia, ut Gratianus *can. Beata 3. caus. 27. q. 2.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 1. n. 3.* Pal. *tr. 28. D. 2. p. 1. n. 3.* Pirh. *hic n. 69.* Wiest, *n. 133.* cum alijs notant, ex revelatione Divina certò cognovit, S. Josephum nunquam usurum hoc suo jure, & sic nullum fore periculum violandi Votum. *Ad 4.* ut infra *Tit. 5. de condit. appost.* ostendetur, Matrimonium initum sub conditione servanda Castitatis non est validum; quia conditio hæc repugnat substantie Matrimonij. *Ad 5.* Impotentia, ut dicitur *Tit. 15. de frigid. & maleficiat.* Est impedimentum dirimens, & inhabilitans ad Matrimoniale contractum, si sit perpetua. *Ad 6.* Vinculum conjugale, seu obligatio ad actus conjugales in hujusmodi conjugibus manet radicaliter, sive quoad actum primum, licet per accidens impediat quoad actum secundum. Et hinc si dispensatione Pontificia à Voto Continentie absolventur, sine nova pactione Matrimonio uti possent.

**346** Quæritur 5. qualis debeat esse consensus ad Matrimonium requisitus? *R.*

1. debet esse liber, prout patet ex *c. cum locum 14. c. Gemma 29. Sc. b. tit.* idque propter arctitudinem vinculi, quod semel contractum non nisi morte alterutrius contrahentis solubile est. 2. Verus, non fictus, aut simulatus, prout sumitur ex *c. tua nos 26. &*

*l. simulate 30. ff. de rit. nupt.* quia sine vero consensu non consistit Matrimonialis contractus, simulatus autem consensus non est verus. 3. Mutuus, ut uterque jus in corpus suum alteri tradat, & acceptet, ut disertè habetur *c. ex duobus 1. de Spons. duor.* ibi, *Fides consensus est, quando mutuo se concedunt unus alteri, & mutuo se suscipiunt.* 4. Simultaneus, saltem moraliter, & ita, ut casu, quo unus consensum jam præstitit, iste interea, donec etiam consentiat alter, nec expressè, nec tacitè revocetur *arg. c. fin. de Procur. in 6.* 5. Expressus voce, vel alijs signis, ut sunt nutus, scriptura, &c. prout sumitur ex *c. cum apud 23. in fin. &* ex Concil. Florent. *Decret. Union. S. septimum*, ubi dum Concilij titus PP. dicunt Matrimoniale consensum regulariter per verba exprimi, non obscurè insinuant, eum etiam per alia signa, consensum de præsentibus sufficienter significantia, posse exprimi.

Dub. 1. Quid dicendum casu, quo **369** Titius primò verbis quidem, sed sine animo contrahendi Matrimonium init cum Bertha, postea vero, adhibito etiam consensu, contrahit cum Caja, vivente Bertha, & contra valorem Matrimonij secundò contracti agente? *R.* Cum distinctione; nam in foro interno, etsi nullam probationem fictionis afferat Titius, sed solum fateatur se fictè contraxisse, obligandus erit à Confessario, ut cohabitet Caja. Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 6. n. 3.* Ratio est; quia in foro interno, & conscientia nulli requiruntur testes, aut probatio, sed fides solum habetur.

Aliter proceditur in foro externo **366** nam in isto, nisi clarissimis indicijs & argumentis omnino indubitatis probetur fictio, præsumptio fiet pro Matrimonio primo, & in illius contractu præsumetur intervenisse consensus: neque credetur ita fictè contrahenti, etiamsi sub juramento asserat se fictè tantum contraxisse *arg. c. per tuas 10. de Probat.* Laym. *n. 3. cit. Schamb. hic n. 144. Sc. 145.* Wiest *n. 140.* Ratio est gravissimum periculum, ne Matrimonium validè contractum cum maximo contrahentium periculo, & injuria Sacramenti dissolvatur.

Et in hoc sensu, ut Sanch. *l. 1. de 269 Matr. D. 11. n. 1.* notat, accipiendus est textus *c. is qui fidem 30. b. tit.* ubi Gregorius IX. ad casum, quo aliquis post fidem datam de Matrimonio contrahendo, & secutam copulam, sicque contractum secundum Juris antiqui regulam Matrimonium præsumptum, in facie Ecclesie duxit aliam, responderet eum teneri redire ad primam: & inde concludit, quod nec verum, nec aliquod censetur Matrimonium, quod defacto est postmodum consecutum. Dicendum enim, id intelligendum secundum præsumptionem fori externi; nam in foro interno præsumptio locum non habet, sed sola veritas.

Dub.



668 Dub. 2. quomodo delinquit, & ad quid obligetur sic fictè contrahens Matrimonium? *n.* Committit peccatum grave non solum Sacrillegij contra Reverentiam Sacramenti, sed etiam injustitiæ, quia alteri bona fide contrahenti gravem injuriam, & damnum infert; cum enim in foro externo aut nunquam, aut difficillimè probari fictio possit, decepta non permittetur transire ad alias nuptias, sed vel ingredi Religionem, vel in sæculo semper manere in-nupta. Quare cum damnum istud aliter plerumque tolli nequeat, quàm ut is, qui fictè consensit in Matrimonium, deposita fictione verè consentiat, regulariter ad hoc tenebitur, & si nolit, etiam in foro externo ad hoc compelli poterit. Ita Scot. in 4. dist. 30. q. 1. *v. respondeo stante illo dolo*, Major in 4. dist. 27. q. 1. Sot. *ibid.* q. 1. art. 3. *v. alia præcipua*, Petr. de Soto lect. 3. de Matr. §. primum agitur, Navar. Manual. c. 22. n. 76. Henriq. l. 11. de Matr. c. 11. n. 3. Petr. de Ledesm. de Matr. q. 45. art. 4. dub. 1. §. in hac. Valq. de restit. c. 3. §. 1. dub. 6. Sanch. l. 1. de Matr. D. 11. n. 4. §. 5. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 6. n. 2. Pont. l. 2. de Matr. c. 5. n. 5. Pirh. hic n. 97. Schamb. n. 145. König n. 104. *v. licet*. Wiest n. 143. dicens, ita saltem tenendum in praxi.

669 Dixi regulariter; excipiendi enim sunt casus aliqui, quibus deceptor ad Matrimonium cum decepta contrahendum non obligatur. Et talis est 1. si deceptor Matrimonium jam cum alia vero consensu injit; tunc enim, etsi Judici de primo Matrimonio fictè contracto fidem nulla ratione facere possit, & conf. Judex, ut debet, pronuntiet pro primo illo Matrimonio, atque ad cohabitandum, intentatâ etiam Excommunicationis poenâ, compellat, potius ejusmodi Censuram, utpote quæ animam non ligat, sustinere, quam primæ Sponsæ per carnalem copulam conjungi debet, ut statuitur c. inquisitioni 44. de sent. Excomm. 2. Si damnum deceptæ illatum alio modo compensari possit; quia hæc obligatio non oritur vi solum contractus, qui ob defectum consensû nullus, & irritus fuit, sed ob damnum deceptæ inde consecutum. 3. Si deceptor in longè altiori statu sit positus; quia Matrimonia inter dispares infelices solent habere exitus. 4. Si contrahens manifesta consensûs ficti indicia præbuit; quia tunc famina seipsam deceptit. 5. Si decepta Virginem se esse falsò jactavit; tunc enim una deceptio per aliam tollitur, ac veluti compensatur. 6. Si ex tali Matrimonio timeantur secutura scandala, & infelices exitus. 7. Si decepta, cognita deceptione, aliam compensationem spontè recipiat. Videantur DD. n. præc. cit.

670 Dub. 3. An, quando Matrimonium irritum fuit ex defectu consensûs, quia al-

R. P. Schmalzgrueber L. II.

ter conjugum fictè, vel gravi metu coactus contraxit, tunc sufficiat, si hic solum postea consensum in Matrimonium renovet, an verò necesse sit, ut uterque denuo consentiat? Hoc secundum affirmant. Felin. in c. ex parte Decani 33. n. 11. de rescript. Palatios in 4. dist. 27. D. 1. fol. 566. col. 2. Barth. de Ledesm. de Matr. dub. 19. fol. 1297. Pal. tr. 22. D. 2. p. 6. n. 3. Rationem dant 1. quia defectus consensûs non minus dirimit Matrimonium, quàm aliud impedimentum dirimens. Sed quando contractum illud est cum alio impedimento dirimente, ut illo per dispensationem sublato, Matrimonium convalescat, necessarius est novus consensus ex parte utriusque. Ergo etiam, ut convalescat, quod invalidè contractum est ex defectu consensûs. 2. Si sufficeret suppleri consensum ex parte ejus, qui fictè contraxit, alterius consensus verus deberet habitualiter perseverare adhuc, quando suppletur defectus consensûs à deceptore. Atqui non perseverat eò usque; quia habet annexam conditionem, si etiam alter conjux verè consentiat, quod cum non statim fiat, etiam evanescet consensus ab altero verè positus. 3. Matrimonium ex una parte claudicare non potest. Claudicaret autem, si consensus unius posset manere validus, posito consensu ex altera parte invalido. Igitur ex utraque parte consensus invalidus erit, quando autem ex utraque parte invalidus consensus est, ex utraque parte repeti debet. Ergo: &c.

Verùm hæc Argumenta licet probabiliter admodum reddant sententiam, pro qua adducuntur, non difficilem tamen & ipsa responsionem patiuntur. Ad 1. Nego paritatem: nam quando consensus cadit in personas laborantes alio quodam impedimento dirimente, consensus ex utraque parte invalidus est; at quando unus contrahit fictè, alter verè, consensus ex una solum parte invalidatur. Ad 2. consensus alterius verus tamdiu perseverat moraliter, quamdiu explicitè, vel implicitè non revocatur; ponitur autem non revocatus. ergo: &c. Ad id, quod additur, consensum nempe decepti habere annexam conditionem, si etiam alter statim verè consentiat, frustra additur, neque sine ratione supponi debet. Ad 3. Matrimonium claudicare nequit, ita, ut sit legitimum absque vero utriusque consensu; potest autem claudicare ita, ut consensus unius, dum non revocatur sufficiat ad Matrimonium, quando postea alterius consensus accesserit, ut contingit, quando consensus præstantur diverso tempore.

Quare ad propositum dubium dico: 671 probabilius sufficere, si ille, qui illegitimè consensit, denuo consentiat. Ita Sylv. *v. Matrimonium* 8. q. 2. dist. 6. & q. 11. dist. 4. Navar. Man. c. 22. n. 51. fin. Sanch. l. 2.

H 2



de Matr. D. 32. n. 9. Gutier. c. 46. de Matr. n. 14. Conink D. 24. dub. 7. n. 58. in fin. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 6. n. 1. Pirh. hic n. 83. König. ibid. n. 103. § 128. & alij apud istos. Ratio est; quia cum consensus alterius validus de se fuerit, & sufficiens ad matrimonium, nec revocatus fuerit, jam ex parte istius consensus nihil desideratur, solum autem deest consensus illius, qui fictè, aut metu consensit; ergo hoc accedente, matrimonium convalescet. **Conf.** Si fictè, vel metu consentiens nullum omnino tunc præstitisset consensum, sed solum interjecto spatio temporis, valeret matrimonium, modò consensus alterius in sua priori virtute maneat. Atqui is, qui fictè, aut metu consensit, perinde se habet, acsi non consensisset, cum is consensus fuerit omnino nullus. Ergo satis est, si manente in virtute priori consensu, ipse solus consentiat: quod facere potest, nulla intimatione de hoc facta alteri conjugi, & ut putat Sanch. l. cit. n. 11. alijs *cit.* solum in mente, & in corde suo; quia hoc solum defuerat.

¶ 73 Quæritur 6. Quomodo consensus matrimonialis sit exprimendus? *Certum est* exprimendum per signa externa; quia matrimonium habet rationem contractus, qui cum celebretur inter homines interiora cordis ignorantes, necessariò petit, ut consensus in illud exprimat signo externo. Sanch. l. 2. D. 30. n. 1.

Dub. 1. Utrum sufficiat consensus istum exprimi signis alijs, vel necessariò desiderentur verba? Tres sunt sententiæ. *Prima* putat verba in potentibus loqui necessaria esse ad valorem matrimonij, sed Jure Ecclesiastico tantum, quo introductum sententiæ istius fautores existimant impedimentum dirimens in valentibus loqui, quando scilicet solis signis contrahunt: quod tum ex alijs textibus, tum verò maximè deducunt ex c. tue 25. b. tit. ibi, *Necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia*; & additur, quòd *surdi, & muti possunt contrahere sine verbis*: ubi isti excipiuntur à regula priùs tradita. Atqui exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Igitur valentes loqui sine verbis non possunt contrahere.

¶ 74 *Secunda* docet verba saltem requiri de necessitate præcepti Ecclesiæ: quod tamen moderantur triplici exceptione. 1. In mutis; quia his executio præcepti est impossibilis. 2. Si præcessit tractatus de matrimonio contrahendo; tunc enim putant verba in contractu matrimoniali nulla desiderari. 3. Si unus verba protulit; nam tunc volunt sufficere, si alter consensum suum per signa explicet. Deducunt & ipsi doctrinam suam ex Jure, præsertim verò ex c. licet 3. de Spous. duor. ibi, *Si inter virum, & mulierem legitimus consensus inter-*

veniat de presentibus, ita quidem, quòd unus alterum in suo mutuo consensu verbis consensu expressè recipiat, Sc. quæ verba videntur indicare saltem præceptum.

*Tertia* sententia, eaque omnino retinenda cum Covar. p. 2. de Spousal. c. 4. pr. n. 1. Sanch. l. 2. de Matr. D. 31. n. 5. § segg. Pont. l. 2. c. 7. n. 14. Conink D. 24. dub. 8. concl. 4. Pal. n. 22. D. 2. p. 7. n. 2. § segg. Bosco scilicet. 4. concl. 3. n. 129. Card. de Luca Discurs. 2. de Matr. n. 14. König hic n. 108. 7. Nihilominus, Magnif. P. Schmier. p. 2. de Matr. c. 2. n. 44. § segg. sustinet etiam in loqui valentibus ad exprimendum consensum sufficere signa distincta à verbis. Idque verum est, si vequatur, an ista sufficiant ad valorem Matrimonij, si vequatur, an sufficiant rationes præcepti. *Primum*, quòd verba formalia non requirantur ad valorem, patet; quia non requiruntur ad valorem aliorum contractuum; id autem sufficit ad valorem Matrimonij, quòd sufficit ad valorem aliorum contractuum, nisi speciali Jure diversum aliquid statutum sit de Matrimonio. *Secundum*, quòd non requirantur ex necessitate præcepti, inde patet; quia non extat præceptum istud Ecclesiæ. Adde tamen cum Pal. l. cit. n. 5. valde decens esse, ut contrahentes suos consensu verbis exprimat: imò istud aliquando ratione scandali, & ne dubius reddatur contractus, sub peccato mortali necessarium erit.

Neque aliud probatur ex c. tue, & 276 e. licet *cit.* Ad primum respondet Sanchez cum alijs *supra*, verba esse necessaria quoad Ecclesiam, i. e. quoad clariorem probationem: & hinc non excluditur alius probandi modus; quòd enim necessarium non est quoad substantiam, sed quoad probationem, potest per æquipollens impleri. Vel, ut idem Sanchez existimat, dici potest verba esse necessaria, i. e. utilia ad meliorem probationem. Ad secundum plus ex eo textu non eruitur, ut monet Pal. l. cit. n. 4. quàm quòd Matrimonium regulariter perficiatur verbis, non quasi necessaria sint absolute, sed quia sunt signa aptiora consensu.

Dub. 2. Quid potissimum spectandum sit in verbis, per quæ contrahentes consensum suum exprimunt? *1.* Potius est spectanda intentio, quàm sensus verborum; quia verba intentioni deserviunt, & non intentio verbis, quæ solum inventa sunt, ut per ea intentionem suam quisque exprimat. Et hinc, si intentio desit, quælibetque sint verba, in foro conscientiæ, & coram DEO, nulla Sponsalium, aut Matrimonij obligatio oritur: & è contrario, si adsit intentio contrahendi Matrimonium, eaque manifestetur externo aliquo, & tali signo, ut ambo contrahentes intelligant se mutuò velle contrahere Matrimonium, id fa-



fatis est, neque refert, quæ verba appo-  
ferint. Sanch. l. 1. de Matr. D. 18. n. 2.  
Pirh. hic n. 85.

278 Dixi in foro conscientie; nam in fo-  
ro externo, si de verborum interpretatione  
dubiteretur, non statueretur intentioni contrahen-  
tium (quia hæc Ecclesiam latet) sed inter-  
pretatio faciendâ est secundum communem  
loquendi usum, sive in eo sensu, quo com-  
muniter à rectè intelligentibus accipiuntur.  
Sanch. l. cit. n. 4. Pal. D. 2. p. 8. n. 1.  
Pirh. n. 85. cit. not. 3. quia ut l. Labeo 7. §.  
Servus 2. ff. de supell. legat. dicitur, non ex  
opinione singulorum, sed ex communi usu  
vominâ exaudiri debent. Excipitur, nisi  
tempore contractûs consistet aliam fuisse  
mentem contrahentium; nam tunc neque  
in foro externo Matrimonium haberi pro  
valido poterit. Talis casus est, si aliqui  
rudes, & simplices, existimantes Matri-  
monium non esse contractum perpetuum,  
vellent tantum ad tempus inter se contra-  
here Matrimonium, & ad cohabitandum se  
obligare non in perpetuum, sive usque ad  
mortem, idque sufficienter exprimerent;  
tale enim matrimonium foret nullum etiam  
in foro externo si in hoc sufficienter con-  
sistet de hac contrahentium intentione, qui-  
buscunque demum contrahendo usi sint  
verbis.

279 Dub. 3. Quam fidem mereatur in-  
terpres, si contingat per illum celebrari Ma-  
trimonium? n. Illi danda est fides inte-  
gra, cum fuerit communi contrahentium  
consensu electus. Ita Bartol. in l. 1. §. su.  
n. 2. ff. de V. O. Jason. ibid. n. 7. Covar. p.  
2. de Sponsal. c. 4. §. 1. n. 3. Sanch. l. 3. de  
Matr. D. 39. n. 4. Pirh. hic n. 85. not. 5. &  
alii communiter. Et hinc si dubium inci-

dat ex eo, quod alter contrahentium dicat  
se non intellexisse verba Interpretis, ad  
hunc recurrendum est: & si adhuc maneat  
dubium, consulendus est communis sensus,  
& significatio verborum, quibus interpres,  
& cum eo contrahens usus est, juxta c. ex  
litteris 7. b. tit. & tradit ibidem Gloss. V. in-  
tellexerit cum cit.

Quæritur 7. An validum sit Matri-  
monium contractum, non servata Lege,  
vel consuetudine loci, seu Regionis? n.  
Affirmativè. Ita statuitur c. de Francia 1.  
b. tit. & notat ibid. Host. V. superinduxit,  
Abb. n. 3. §. 7. Pirh. hic n. 89. Ratio  
est; quia Matrimonium oritur ex Lege,  
& institutione Divina. Atqui huic Juri præ-  
judicare Lex humana, qualis etiam est con-  
suetudo, non potest. Valebit ergo Matri-  
monium, si habeat ea, quæ alias ad illius  
valorem requiruntur, etiamsi aliter dispo-  
nat Lex, vel consuetudo loci obineat; quia  
non potest Matrimonium semel legitime  
contractum quoad substantialia irritare, vel  
tollere.

Dixi autem, non servata consuetu-  
dine, vel Statuto loci, aut Regionis; nam  
Lege Pontificia forma Contractûs matri-  
monialis immutari potest, ut defacto im-  
mutatus est à Trid. dum matrimonia clan-  
destina sustulit.

Addidi quoad substantialia; nam circa  
accidentalia, & accessoria matrimonij con-  
suetudo patriæ, & Regionis, in qua con-  
trahitur Matrimonium, potest disponere;  
ut Abb. n. 7. cit. Pirh. n. 89. not. 2. Kö-  
nig hic n. 89. advertunt. Talia sunt, ut  
nullum conjugium fiat sine dote, ut Spon-  
sus, & Sponsa benedicantur à Sacerdote,  
& à Paranympis offerantur. &c.

## §. II.

## De Matrimonio, quatenus est Sacramentum.

## SUMMARIUM.

282. 283. 284. 285. An Matrimonium sit  
Sacramentum?  
286. 287. Quando institutum?  
288. Que ipsius Essentia Metaphysica?  
289. 290. Que Materia, & Forma?  
291. Quis Minister? Rationes dubitandi.  
292. Deciditur, quod sint ipsi contrahentes.  
293. Respondetur ad objectiones.  
294. 295. 296. Quando à fidelibus efficitur  
hoc Sacramentum?  
297. An Sacramentum sit inter absentes per  
Procuratorem contractum?  
298. Defenditur affirmativa.  
299. Solvuntur Argumenta contraria.  
300. An Sacramentum sit Matrimonium, quod  
contraxerunt fideles ignorantes, quod Ma-  
trimonium sit Sacramentum?  
301. An contrahi inter fideles Matrimonium

- possit, quod valeat in ratione Contra-  
ctûs, non autem in ratione Sacramenti?  
302. Propugnatur negativa.  
303. Quid dicendum de Matrimoniis Hære-  
ticorum?  
304. Diluuntur Argumenta opposita.  
305. An Matrimonium à fidelibus contractum  
sit duplex Sacramentum, an unum tantum?  
306. An Sacramentum sit, quod fidelis ex dispen-  
satione Apostolica contrahit cum infideli?  
307. Respondetur negativè.  
308. Dissolvitur ratio dubitandi in contrarium.  
309. An Matrimonium, ab Infidelibus con-  
tractum, si isti convertantur ad Fidem,  
transcat in Sacramentum?  
310. Resolvitur pro negativa.  
311. Objectiones solvuntur.

H 3

Quæ-



**281** Quæritur I. An Matrimonium sit Sacramentum? *¶* Hic distinguendum esse inter Matrimonia, prout contrahebantur in Lege antiqua, & inter ea, quæ à fidelibus contrahuntur in Lege nova.

De Matrimonio in Lege veteri conveniunt DD. Orthodoxi cum A catholicis, quod tantum fuerit contractus naturalis, & non Sacramentum, nisi latè, & improprie, quatenus scilicet aliquo modo figurabat conjunctionem DEI cum homine per gratiam, & Christi cum Ecclesia per carnem, prout colligitur ex *c. gaudemus 8. de divorc. c. debitum 5. de Bigam.* & tradit Leo Epist. 92. ad Rustic. August. l. 2. de nupt. c. 21.

**283** Idem Hæretici plerique nostri temporis contendunt de Matrimonio fidelium in Lege nova: quibus quoad hoc punctum favet Durandus in 4. dist. 26. q. 3. dicens non esse proprie, & univocè Sacramentum, nec gratiam conferre: quod probabile iudicat Paludan. dist. cit. q. 4. princ. n. 3. in quorum sententiam videtur facere *c. veniens 3. de Presbyt. non baptiz.* ubi Innocentius III. dicit, Sacramentum Conjugij, & Eucharistia à non baptizatis recipi posse: quod fieri non posset, si Matrimonium proprie Sacramentum foret, cum Baptismus sit ianua, & necessaria dispositio ex Divina institutione ad reliqua Sacramenta suscipienda. *Confirmari* hoc etiam posset ex eo; quia Ecclesia non potest irritare Sacramentum. Potest autem irritare Matrimonium, ergo &c.

**284** Sed dicendum, Matrimonium novæ Legis, inter fideles contractum, esse verè, & proprie Sacramentum. Est de Fide, & definitum à Conciliis Florent. Decret. Union. §. quinto, & Trid. sess. 7. can. 1. de Sacram. in gen. & sess. 25. can. 1. de Sacram. Matrim. contra Lutheranos, & alios Sectarios; nam quamvis initio Matrimonium tantum fuerit contractus Civilis, & ut talis institutus à DEO in Paradiso, Christus Dominus tamen in Lege nova eundem elevavit ad statum, & dignitatem Sacramenti, eique dedit vim sanctificandi contrahentes ritè dispositos: quod indicat Paulus Ephef. 5. v. 32. ubi de conjugio loquens, *Magnum*, inquit, hoc Sacramentum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Agnovit hoc etiam pridem S. Augustinus, quando *Libr. de Fid. & Operib. In Ecclesia*, inquit, *Nuptiarum non solum vinculum sed etiam Sacramentum commendatur*, Eratque hoc omnino conveniens, ut dignitatem, & vim Sacramenti acciperet; cum enim ex Christi Lege *Matth. 5. & 19.* ejusdem vinculum sit perpetuum, & vi illius teneantur conjuges ad cohabitationem perpetuam, quæ gravissima iisdem imponit onera, intollerabile jugum foret, nisi ipsi annexisset gratiam suam Divinam ad hæc onera facilius sustinenda.

Neque contrarium probatur ex *c. veniens cit.* id enim intelligi debet de susceptione Matrimonij in ratione contractus, & de susceptione Eucharistia materiali. Adde, quod ibi Innocentius non definiendo, sed dubitando ea verba protulerit, prout advertit Rebell. l. 2. de Matr. q. 3. n. 16. Pontius l. 1. c. 6. n. 5. Pal. tr. 28. D. 2. p. 2. n. 1. *Ad Conf.* Ecclesia tantum irritat Contractum, quo irritato, desinit esse Sacramentum, quod Contractui annexum est, Deinde retorquetur Argumentum; nam Ecclesia etiam non potest irritare Sacramentum Pœnitentiæ, potest tamen Jurisdictionem necessariam ad absolvendum tollere, & sic facere, ne Sacramentum fiat.

Quæritur 2. Quando institutio ista à Christo facta sit? *¶* de hoc diverse sunt DD. sententiæ. Nam 1. aliqui apud Viguier. l. 16. Inst. Can. §. 7. §. 1. & Ledesm. 2. p. 4. q. 44. art. 2. dicunt Matrimonij Sacramentum institutum esse Joann. 2. dum Christus interfuit nuptijs. 2. alij cum Sanchez l. 2. de Matr. D. 4. n. 5. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 2. n. 1. Pal. tr. 28. D. 2. p. 1. n. 6. volunt Joann. 2. Matrimonium quidem à Christo approbatum esse, institutum tamen, quando *Matth. 19. v. 7.* Christus, Repudiij libello antiquato, id, sicut ab initio fuit, insolubile imposterum esse iussit verbis, *Quod DEUS conjunxit, homo non separet.* 3. alij cum Tann. D. 8. q. 2. dub. 2. n. 26. existimant, institutum fuisse tempore 40. dierum, quibus Christus post Passionem suam præbuit seipsum vivum Apostolis, loquens de Regno DEI, h. e. de pertinentibus ad Statum Ecclesiæ. *Act. 1.*

Similis controversia est de institutione primæ Matrimonij in ratione Contractus; nam aliqui, quos refert Sanchez D. 4. cit. n. 2. putant immediatè institutum fuisse ab Adamo, illis verbis, quæ DEO inspirante, protulit: *Hoc nunc os ex ossibus meis. Gen. 2.* Sed verius institutio tribuitur immediatè ipsi DEO, dum *Gen. 1.* dicit: *cresecite, & multiplicamini*; nam tunc DEUS fecit copiam illis, ut jungerentur, & mutuam corporum traditionem conceffit, in quo Matrimonium consistit. Unde dicendum, per verba illa Adami institutionem à DEO factam magis fuisse declaratam, eo ferè modo, quo institutio Extremæ Unctionis, facta per Christum, fuit declarata per Apostolum Jacobum.

Quæritur 3. Quid sit Sacramentum Matrimonij, seu quæ sit Essentia illius Physica, & Metaphysica? *¶* Essentia Metaphysica Matrimonij in Definitione illius consistit, Physica in materia, & forma. Definitio Matrimonij, ut Sacramentum est, à plerisque DD. saltem quoad sensum hæc ponitur: *Est conjunctio maritalis, Spiritualis gratie collativa*; vel: *Est contractus, marrem, & feminam, nullo Jure impeditus, ad*



individuum vite societatem, & corporum ad actus conjugales traditionem mutuam obligans, usque rite dispositis conferens gratiam sanctificantem.

De Materia, & Forma variz sunt sententiz, ut videre est apud Sanch. l. 1. de Matrim. D. 5. Canonistis familiarior, & expeditior opinio est illorum, qui dicunt, quod Materia Matrimonij remota, & circa quam Sacramentum istud versatur, sint ipsamet corpora conjugum, ad generationem proles idonea; Proxima verò, & ex qua Matrimonij Sacramentum constituitur, sit ejusmodi corporum actualis, & mutua traditio, & acceptatio: Forma denique utriusque in eam traditionem, & acceptationem consensus, verbis, vel alijs signis expressus. Ita Valq. D. 3. de Matr. c. 4. Hurtad. D. 3. de Matr. n. 79. Gutier. c. 41. de Matrim. n. 1. y. tertia sententia. Pal. tr. 28. D. 2. p. 3. n. 2. Zoel. hic n. 63. Schamb. n. 125. König n. 102. Wiest. n. 153. Magnific. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 2. n. 33.

Ratio est; Quia Matrimonij, ut Sacramentum est, non alia est materia, & forma, quam sit ejusdem, quatenus Contractus est; nam iste à Christo Domino non est mutatus, sed tantum elevatus ad statum, & dignitatem Sacramenti. Atqui Matrimonij, ut Contractus est, materia remota sunt corpora habilia, proxima eorundem traditio, & acceptatio, forma consensus contrahentium in traditionem, & acceptationem mutuam. ergo &c. Conf. à pari; nam materia remota Emptionis Venditionis sunt res in eum contractum deductæ; proxima obligatio tradendi mercem pro pretio, & pretium pro merce; forma mutuus consensus in obligationem istam per verba, aut alia signa externa expressus. Idem autem videtur dicendum de Matrimonio, ergo &c.

Queritur 4. Quis sit Minister Sacramenti Matrimonij? Melchior Canus l. 8. de loc. c. 5. ad 5. tamen fateatur, Matrimonium, quatenus est contractus, confici per ipsos contrahentes, contendit tamen, ejusdem, quatenus Sacramentum est, Ministrum esse Sacerdotem: quod probat. 1. quia Eugenius IV. in Decret. l. 11. §. septimum definit omnia Sacramenta verbis tanquam formâ perfici: atqui verba contrahentium necessaria non sunt; quia suppleri per signa possunt, ut dictum est n. 275. ergo affirmandum est verba Sacerdotis necessaria esse, illisque Sacramentum perfici, sicut alia omnia Sacramenta perficiuntur. 2. Actio Sacramentalis est actio Sacra. Igitur requirit Ministrum Sacrum, & formam Sacram. 3. Trid. sess. 24. c. 1. de reform. Matr. jubet, ut Parochus, habito consensu contrahentium, proferat ea verba, Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris &c. ergo verè Parochus conjungit, & conficit

Sacramentum, ne verba sint falsa. 4. In cæteris Sacramentis Minister est Sacerdos, ex instituto per Sacri Ordinis susceptionem ordinatus, ut sit Minister Sacramentorum. Ergo etiam in Matrimonio. 5. Si contrahentes essent Ministri istius Sacramenti, casu, quo, dum contrahunt, existunt in statu peccati mortalis, duplex peccatum mortale contraherent, unum recipiendo Sacramentum, alterum ministrando. Sequela est contra persuasionem contrahentium, qui unico peccato ligari eo casu se credunt, ergo &c.

Sed indubitata sententia est, quòd hujus Sacramenti Minister non sit Sacerdos, sed ipsi contrahentes. Ita Sor. in 4. dist. 26. q. 2. art. 3. y. hanc autem, Bellarm. l. 1. de Matr. c. 6. & duob. seqq. Suar. tom. 1. de Sacram. q. 65. D. 16. sect. 1. Henriq. l. 11. de Matr. c. 2. n. 7. Petr. de Ledesm. de Matr. q. 42. art. 1. difficult. 4. Sanch. l. 2. de Matr. D. 6. n. 2. Gutier. c. 41. de Matr. n. 2. Pont. l. 1. c. 8. n. 3. Pal. tr. 28. D. 2. p. 4. n. 2. Valens. hic §. 6. n. 3. Pirh. n. 77. Schambog. n. 124. Wiest. n. 145. Colligitur 1. ex Florent. quod in Decreto cit. §. septimum causam Matrimonij efficientem statuit mutuam consensum regulariter per verba de presenti expressum. Atqui hic consensus non à Sacerdote ponitur, sed à contrahentibus. ergo &c. 2. Ex Trid. quod sess. 24. c. 1. de reform. matr. Matrimonium sine Parocho, & testibus contractum irritat, Ergo antea, si sine istis contractum fuit, validum fuit: non autem in ratione Contractus tantum; quia, ut infra n. 302. dicam, in fidelibus ratio Sacramenti separari non potest à ratione Contractus. Igitur validum fuit in ratione Sacramenti, Validum verò non fuisset, si sine legitimo ministro fuisset contractum. ergo &c. 3. Ex ratione; nam Sacramenti cujusque minister est, qui ponit ejusdem formam. Atqui hanc ponunt in Matrimonio, non Sacerdos, sed contrahentes &c.

Rationes in contrarium adductæ exigui sunt momenti. Ad 1. Verba in Matrimonij contractu regulariter adhibentur, tamen signis celebrari possit. Ad 2. Actio Sacramentalis Sacra est, quia est causa Sacramenti, & sanctificantis gratiæ; non verò quasi procedat à Ministro consecrato; aliàs Baptismus collatus à Laico non esset Sacramentum, cum Laicus non sit ad id consecratus. Ad 3. Verba illa, ut notat Sanch. l. cit. n. 6. proferuntur à Sacerdote, non tanquam Ministro Sacramentum ministrante, sed declarante, seu confirmante, quod inter ipsos contrahentes fit, aut factum est, adeoque id Sacerdos non efficit, sed confirmat, seu approbat. Deinde Sacerdos assistens etiam alijs verbis uti potest juxta receptum cujusque Provinciæ ritum, ut addit Trid. c. 1. cit. Ad 4. Sicut specia-



le, ac proprium est Sacramenti Matrimonij, quod consistat in contractu ipsorum suscipientium, ita etiam speciale, ac proprium est ejusdem, quod ipsimet suscipientes hoc Sacramentum sint Ministri ejusdem. *Ad 5.* Non pauci DD. negant, quod contrahentes, quatenus sunt Minister Sacramenti Matrimonij, peccent mortaliter, cum ad id munus non sint consecrati. Sed juxta principia *Lib. 3. Tit. 1. n. 15.* jacta probabilius est esse peccatum mortale, eo quod sint instrumentum Christi ad gratiam conferendam; decet autem instrumentum causae principali esse conforme. ergo &c.

**294** Quæritur 5. Quando à fidelibus efficiatur Sacramentum, an in ipso contractu Matrimonij, ut adeo consistat in usu, an verò perseveret, instar Sacramenti Eucharistiae, post contractum præteritum? Hoc secundum affirmant Bellarm. *l. 1. de Matr. c. 6.* Sanch. *l. 2. de Matr. D. 5. n. 7.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 2. n. 4.* ex ratione; quia pro tota vita significat admirabile, & insolubile illud conjugium, sive unionem Christi cum Ecclesia contractam per Mysterium Incarnationis, de qua Joannes *c. 1. v. 14. Verbum, inquit, Caro factum est, & habitavit in nobis. Conf.* Eucharistia est Sacramentum, non tantum, quando est in fieri, sed tale etiam manet postea, dum est in facto esse; quia species permanentes sunt signum sensibile interni alimenti per gratiam. Ergo & Sacramentum Matrimonij permanebit; quia manet vis significandi.

**295** Sed verius est, solum Matrimonij contractum propriè dictum Sacramentum esse. Ita Conink *D. 24. dub. 2. n. 11.* Pal. *tr. 28. D. 2. p. 2. n. 3.* Bosco *de Matr. D. 11. scđ. 4. concl. 5. n. 132.* Wiest. *hic n. 103.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Matr. c. 1. n. 32.* Ratio est; quia Sacramentum ex Divina institutione est gratiae signum practicum, ex opere operato sanctificans suscipientem, ut dixit Concil. Florent. in Decreto Eugenii, & colligitur ex Trid. *sess. 7. per totam.* atqui hæc gratia ex communissima DD. sententia confertur conjugibus ex opere operato in ipso contractu Matrimonij, non verò in ejusdem usu. ergo &c.

**296** *Ad Argumentum contrarium* Matrimonium vim illa significandi habet, non quæ Sacramentum est (quia aliàs significatio hæc competeret etiam Matrimonio rato) sed quod consummatum sit: quod inde patet; quia hanc unionem significat etiam Matrimonium à conjugibus in Infidelitate initum, & consummatum ab iisdem ad Fidem conversis, licet ne tum quidem Sacramentum fiat, ut *n. 310.* dicitur. *Ad Conf.* negatur paritas cum Eucharistia. Disparitas est; quia Eucharistia, postquam in Sacrificio Missæ confecta est, usu suo ex opere operato suscipientem sanctificat; contra Matrimonium solum sanctificat, dum sit,

non verò, dum factum est. Igitur cum de ratione Sacramentorum novæ Legis sit esse signum practicum gratiae, Eucharistia merito dicitur Sacramentum in facto esse, Matrimonium verò solum, dum fit. Quodsi adhuc contendas, hoc nomen etiam Matrimonio in facto esse competere, concedam esse Sacramentum, sed latè acceptum pro signo rei Sacrae Divinitus instituto.

Quæritur 6. An Sacramentum sit Matrimonium inter absentes per Procuratorem contractum? Pro negativa citantur Durandus, Canus, Victoria, Martinus, & Bartholomæus de Ledesma, & alij apud Gutier. *c. 43. de Matr. n. 10.* Fundantur 1. quia perceptio, & confessio Sacramenti est actus personalis, ut constat in omnibus alijs Sacramentis. Sed actus personalis per alium exerceri non potest; & ideo cætera Sacramenta substitutum non admittunt. Ergo idem dicendum de Matrimonio. 2. Si Matrimonium per Procuratorem contractum Sacramentum esset, sequeretur, quod dormiens non tantum recipere gratiam, sed etiam peccare posset; nam si eo tempore, quo Procurator nomine ipsius contrahit Matrimonium, sit rite dispositus, recipiet gratiam, sin minus, peccabit. 3. Sequeretur item, quod idem dormiens possit conficere Sacramentum; neque enim Procurator id conficit, sed Principalis, cujus nomine contrahit. Sequela videtur esse contra communem doctrinam, quæ in Ministro Sacramenti requirit intentionem actualem, saltem virtualiter perseverantem, cujus habendæ dormiens capax non est. 4. Absoluto Sacramentalis non potest dari absenti; quia forma Absolutionis *Absolvo te*, in præsentem dirigitur: atqui non minus in præsentem dirigitur Forma Matrimonii, *accipio te in meum &c.* 5. Cum Parochus assistens Matrimonio profert verba illa, *Ego vos conjungo*, pronomen *Vos* non minus requirit præsentiam Subjectorum, quam pronomen *Te* in forma Baptismi, & Pœnitentiæ. Ergo absens non minus est incapax Sacramenti Matrimonij, quam Sacramenti Baptismi, vel Pœnitentiæ. 6. Si Matrimonium contractum per Procuratorem valeret in ratione Sacramenti, valeret etiam contractum per Epistolam.

Sed his non obstantibus, dicendum, Matrimonium etiam per Procuratorem initum verè, ac propriè Sacramentum esse. Ita Sot. in *4. dist. 27. q. 1. art. 3. v. at verò*, Philiac. *de Offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. l. 2. c. 2.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 1. §. un. n. 5.* Sanch. *l. 2. de Matr. D. 11. n. 27.* Gutier. *c. 43. de Matr. n. 10.* Conink *D. 24. dub. 9. n. 67.* Pal. *tr. 28. D. 2. p. 8. n. 9.* Bosco *Scđ. 6. concl. 1. n. 18.* Pirh. *hic n. 80.* Schambog. *n. 33.* & seqq. König *n. 101. §. affirmativam*, Wiest. *n. 157. in fin.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Matr. c. 2. n. 26.*



26. cæterique communiter. Ratio est 1. Quia omne Matrimonium legitimum inter Baptizatos est Sacramentum; neque enim, ut *infra n. 302.* dicitur, à Fidelibus contrahitur Matrimonium potest, quod sit validum in ratione Contractus, quin etiam contrahatur validum in ratione Sacramenti. Atqui, ut dictum est *n. 249.* Matrimonium per Procuratorem contractum valet in ratione contractus. Ergo valet etiam in ratione Sacramenti. 2. Quia Christus elevans naturalem Matrimonij contractum ad esse Sacramenti, nihil aliud requisivit in Baptizatis, quam id, quod requiritur ad legitimum contractum Matrimonij. Igitur, cum, uti mox dictum est, Matrimonium per Procuratorem initum valeat in ratione Contractus, etiam Sacramentum erit. 3. Quia Concilia Generalia dicunt, quod Matrimonium, quod ante Legem Evangelicam erat Contractus Civilis, modò sit Sacramentum; neque enim Christus elevando Matrimonium ad rationem Sacramenti immutavit illius naturam. Atqui ante Legem Evangelicam Matrimonium per Procuratorem initum valebat in ratione Contractus; quia neutriquam divertebat in hoc à reliquis contractibus. Igitur nunc initum per Procuratorem valet etiam in ratione Sacramenti.

279 Ad Argumenta contraria facilis est Responso. Ad 1. Id peculiare est in Sacramento Matrimonij præ reliquis Sacramentis, quod actio Sacramentalis in ipso non sit omnino personalis, sed per substitutum recipi, & conferri possit. Ratio disparitatis est; quia sequitur naturam contractus: unde sicut isti, ita etiam Matrimonium iniri per Procuratorem poterit. Ad 2. Non est inconveniens dormientem peccare mortaliter, aut gratiam recipere ratione consensus in vigilia habiti; id enim contingit etiam in eo, qui volens baptizari, baptizatur dormiens. Peccatum igitur contrahentis per Procuratorem in hoc consistet, quod non procuraverit sibi statum gratiæ pro eo tempore, quo verisimiliter credebat fore, ut Procurator nomine ipsius contraheret, ad quod tenetur, ut bene alijs *citt. Sanch. l. cit. n. 30.* Ad 3. Contrahens Matrimonium per procuratorem Sacramentum conficit vi intentionis præteritæ, quâ Procuratori mandatum dedit ad contrahendum: quod sufficit in Sacramento Matrimonij, quamvis in alijs Sacramentis non sufficiat; quia in Sacramento Matrimonij materia & forma non necessariò ponuntur simul, & in uno continuo, ut in Sacramentis alijs, cujus ratio est iterum natura Contractus, cujus naturam Matrimonium sequitur. Ad 4. Ex eodem fundamento negatur paritas; cum enim natura Contractus non repugnet illum cum absente iniri, etiam non repugnabit Matrimonio. Aliud est in Absolutione in foro Pœnitentiæ; nam

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

hoc cum merè internum, & occultum sit, & à dispositione pœnitentis præsentem pendeat, mirum non est, quod absolutio in eo foro data præsentiam Ministri, ac pœnitentis requirat, ut sic ille hujus dispositionem cognoscat. Ad 5. verba illa, *Ego vos conjungo &c.* quæ Parochus Matrimonio assistens profert, essentialia non sunt, sicut essentialia sunt in forma Baptismi verba: *Ego te baptizo*, & in forma Sacramenti Pœnitentiæ, *Ego te absolvo*: conf. verba illa Parochi assistentis Matrimonio suppleri possunt per alia æquipollentia, quæ dirigantur in Procuratorem absente principali. Ad 6. Concedo Sequelam, quæ nihil absurdi continet, modò Epistola, quæ utriusque contrahentis consensum continet, legatur coram Parocho, & testibus; tunc enim nihil deest, quod requiritur à Trid. & conf. nulla est ratio, quare non defacto etiam post Tridentinum Matrimonium ita initum valeat: de quo videatur *suprà n. 255.*

Quæritur 7. An Sacramentum sit Matrimonium, quod contraxerunt fideles ignorantes, quod Matrimonium sit Sacramentum? 1. Affirmativè: modò intentionem habeant faciendi, quod faciunt cæteri fideles id contrahendo; nam ita intendunt etiam ipsi facere, quod facit Ecclesia, & sic nihil deerit requisitum ad rationem Sacramenti. Ita S. Thom. *addit. q. 51. art. 2. ad 2.* Henric. *l. 11. Matr. c. 11. n. 5.* Sanch. *l. 2. de Matr. D. 10. n. 6.* Perez *D. 19. de Matr. sect. 10. n. 3.* Wiest. *hic n. 159.* nam idem etiam contingit in Baptismo, quem quis putet fictionem esse, modò intendat facere, quod facit Ecclesia, validè confert.

Dubium est, an Fideles celebrare Matrimonium possint, quod valeat in ratione Contractus, non autem in ratione Sacramenti, eò, quod illud contrahant cum intentione excludente Sacramentum? Affirmant Scot. *in 4. dist. 26. q. un. §. sed qualiter*, Hurtad. *D. 3. de Matrim. difficult. 19.* Vasq. *tom. 2. in 3. p. D. 138. c. 5.* Rebell. *de oblig. Just. p. 2. l. 2. q. 5. concl. 1.* Pont. *l. 1. c. 9. n. 3.* König *hic n. 84. v. malo tamen.* Movenitur 1. Quia, ut constat ex Concilio Florent. *in Decret. union. §. quinto* omnia Sacramenta tribus perficiuntur, *rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Ergo si desit intentio Ministri, Sacramentum non perficitur. Deest autem si fideles intendant Matrimonium inire in ratione solius contractus. ergo &c. 2. Conditiones defacto, aut Jure impossibiles non obstant valori conjugij, modò non adversentur bono fidei, & proli, aut conjugij indissolubilitati, ut patet ex *c. fin. de condit. apposit.* Ergo etiam non obstat conditio, excludens rationem Sacramenti. 3. Neque ex Concilijs, neque



ex doctrina SS. PP. habetur, quod Contractus Matrimonialis, sine intentione conficiendi Sacramentum initus, à Christo sit irritatus: imò non defuerunt, qui cum Cano de Loc. Theol. l. 8. c. 5. volunt, Matrimonium, à fidelibus per Procuratorem, aut Epistolam inter absentes initum, valere duntaxat in ratione Contractus, non autem in ratione Sacramenti. 4. Antequam Matrimonium elevaretur ad rationem Sacramenti, tota substantia Matrimonialis Contractus haberi potuit sine intentione conficiendi Sacramentum, imò cum intentione istam legitimus Contractus quoad substantiam non fuit mutatus. Ergo etiam nunc sine hac intentione, imò cum intentione contraria haberi potest tota substantia Matrimonialis Contractus. 5. Matrimonium, quod de Jure naturali validum est, pro tali habendum est, donec id Divino, vel Ecclesiastico Jure irritatum reperiatur *Extrav. Antiquæ Joann. XXII. de Voto.* tale est Matrimonium sine intentione conficiendi Sacramentum, imò cum contraria etiam intentione initum, neque reperitur textus ullus aut Divini, aut Ecclesiastici Juris, quo illud ita contractum sit irritatum. ergo &c. 6. Huic Sententiæ favet praxis Inquisitorum, Judicum, & communis sensus Ecclesiæ; Matrimonia enim illorum fidelium, qui defleunt ad Judaismum, vera esse reputantur, cum tamen constet non contraxisse animo faciendi id, quod facit Ecclesia, utpote qui id potius irridet, & ob eam causam secretè prius contrahunt, & postmodum in Ecclesia se fingunt more Catholicorum contrahere.

302 Sed longè verior est sententia negans, posse fideles baptizatos Matrimonium contrahere, quod verum sit, & validum in ratione Contractus, & rationem Sacramenti non habeat. Ita Petr. de Ledesm. de Matr. q. 42. art. 1. dub. 7. in solut. ad 1. §. 2. Sanch. l. 2. de Matr. D. 10. n. 6. Conink D. 24. dub. 2. concl. 4. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 2. n. 2. §. porro, Pal. tr. 28. D. 2. p. 2. n. 5. Illung. Theol. pract. tr. 6. D. 7. n. 37. Pich. hic n. 74. Schamb. n. 120. Wiest. n. 161. Ostenditur 1. quia Concilia Florent. §. quintò, & §. septimum cùt. & Trid. sess. 24. can. 1. de Sacram. Matrim. cum dicunt fidelium conjugium verè, & propriè Sacramentum esse, id dicunt indefinè, & sine distinctione, vel exceptione, igitur comprehendunt omnia Matrimonia, quæ à fidelibus validè ineuntur. 2. Quia fideles, dum contrahunt Matrimonium, debent illud non Ethnicorum, & Gentilium, sed Christianorum more, & secundum Christi institutionem contrahere. atqui secundum Christi institutionem omne Matrimonium, quod apud fideles legitimum est in ratione Contractus, etiam est Sacramentum. Ergo qui volunt contrahere Matrimonium, quod apud fideles legitimum sit in

ratione Contractus, etiam volunt conficere Sacramentum. 3. Quia qui vult unum ex duobus inseparabiliter secum connexis, etiam vult alterum ita connexorum. Atqui esse Sacramenti apud fideles ex Christi institutione est omnino inseparabile ab esse Matrimonij. Ergo intentioni legitime faciendi Matrimonium, ut est Contractus, repugnat intentio non conficiendi Sacramentum. 4. Si à fidelibus Matrimonium validè posset contrahi, quin contrahendo conficiant Sacramentum, possent etiam licitè rationem Sacramenti à Contractu Matrimoniali separare, atque excludere, siquidem nulla Lex Divina, aut humana ostendi potest, quæ eos adstringat ad utrumque conjungendum, si verè separari hæ rationes possunt: imò aliquando ad vitandum Sacrilgium, quod committunt Sponsi contrahendo Matrimonium in statu peccati mortalis, conduceret rationem contractus separari à ratione Sacramenti. 5. Si ratio Sacramenti in Matrimonio posset separari à ratione Contractus, malè statuisset Ecclesia, quod Matrimonia, quæ olim clandestinè celebrabantur, fuerint rata, & conf. Sacramenta; nam cum peccatum non præsumatur, præsumi debuisset, quod ita contrahentes clam, ad evitandam irreverentiam Sacramenti, voluerint potius illud contrahere cum intentione excludendi rationem Sacramenti à ratione Contractus, atqui Ecclesia Matrimonia illa pro ratis, & conf. pro Sacramento habuit, ut patet ex Trid. sess. 24. c. 1. de reform. Matr. ergo &c.

303 Ex quo sequitur quid sentiendum sit de Matrimonijs Hæreticorum, qui, dum contrahunt Matrimonium, nolunt conficere Sacramentum; nam distinguendum est; Vel enim volentes ita contrahere, absolute, & nullo modo volunt suscipere Sacramentum, vel solum nolunt suscipere Sacramentum propter errorem speculativum, quo putant Matrimonium non esse Sacramentum, ita tamen, ut velint contrahere eo modo, quo fideles, & Christiani in Ecclesia Christi solent, & possunt contrahere. Si primum, nihil efficiunt; quia intentio posterior priorem elidit, ac destruit, cum, uti dictum est, esse, & ratio Sacramenti ex Christi institutione sit inseparabilis à Contractu Matrimonij. Si secundum, nihilominus suscipiunt, & sibi invicem administrant Sacramentum; quia error illorum particularis per intentionem generalem contrahendi Matrimonium, prout illud à fidelibus potest, & solet contrahi, tollitur, vel corrigitur.

304 Neque obstant Argumenta in contrarium n. 301. allata. Ad 1. Eo casu duæ concurrunt intentiones in sic contrahentibus, una legitima contrahendi Matrimonium, prout à fidelibus contrahi potest, & solet, altera erronea contrahendi illud in ratio-



ione solius contractus, quæ cum merito de contrahentium mente præsumatur, quod velint contrahere validè, & non vivere in perpetua fornicatione, erit conditionata, si scilicet ratio contractus legitimi separari à ratione Sacramenti possit. igitur cum separatio hæc ex institutione Christi fieri nequeat inter fideles, intentio hæc secunda erronea operabitur nihil; conf. prævalebit prior generalis, quæ hoc ipso virtualiter in rationem Sacramenti fertur, quod feratur in rationem Contractus legitimi, à qua ratio Sacramenti apud fideles separari nequit. *Ad 2.* Negatur paritas; nam conditio rationem Sacramenti excludens à Matrimoniali contractu adversatur substantiæ Matrimonij; unde potius habebitur pro non adjecta, sicut aliæ conditiones turpes, & impossibiles: vel si contrahentes absolute nolint contrahere sub ratione Sacramenti, etiam vitabitur Matrimonium in ratione Contractus, & contrahentes nihil omnino agent sic contrahendo. *Ad 3.* Hoc ipso, quod allegata Concilia definitivè, Matrimonium fidelium Sacramentum esse, etiam definitivè intelliguntur, quod ad illius valorem necessaria sit intentio conficiendi, & suscipiendi Sacramentum. Matrimonium, per Procuratorem contractum, Sacramentum non esse, dicunt quidem aliqui, sed improbabilius, ut dictum est *supra n. 298.* *Ad 4.* Retorsionem Argumentum hoc patitur in Matrimonio clandestino; nam ante Trid. Decretum, quo clandestina Matrimonia sunt irritata, valuit intentio contrahendi clam, quam intentionem modò post illud Decretum contrahentes habere non possunt. Directè respondeo, Matrimonialis contractus substantiam per elevationem ad rationem Sacramenti non fuisse immutatam, fuisse tamen annexam conditionem Sacramenti, ita, ut sine hac Matrimonium in ratione Contractus non sit legitimum. *Ad 5.* Patet ex modò dictis, & probationibus allatis *n. 302.* *Ad 6.* Matrimonia illorum verè sunt Sacramenta; quia verè, & absolute intendunt facere, quod Ecclesia requirit, ut Sacramentum Matrimonij consistat, nempe intendunt sibi invicem corpora ad usum conjugalem tribuere, quod est ab Ecclesia pro Sacramento Matrimonij requisitum, tamen ea non præstent, ut Ecclesiæ Catholicæ conformetur.

<sup>205</sup> **Quæritur 8.** An Matrimonium à fidelibus contractum sit duplex Sacramentum, an unum tantum? Aliqui apud Petr. de Ledesm. *de Matr. q. 42. art. 1. dub. 3. ad 3.* dicunt esse duo Sacramenta partialia, & unum totale, sicut contingit in duplici Eucharistiæ specie. *Sed dicendum,* esse unicum tantum. Ita Petr. de Ledesm. *l. cit. Henric. l. 11. de Matr. c. 2. n. 1. pr. Sanch. l. 2. de Matr. D. 10. n. 5. Conink D. 24. dub. 2. n. 24. Perez D. 19. de Matr. R. P. Schmalzgrueber L. IV.*

*sect. 5. n. 4. Schambog. hic n. 16. Wiest. ibid. n. 158. & hoc teste melioris notæ DD. cæteri. Ratio est;* Quia ad statum Sacramenti elevatus est contractus Matrimonialis inter fideles initus, atque Matrimonium, licet consensu, & acceptatione utriusque contrahentis compleatur, unicus tamen contractus est, unicum duntaxat vinculum ad individuum vitæ Societatem, & actuum conjugalem exhibitionem obligans ex parte utriusque, ergo. *Neque refert,* quod recipiatur in utroque: quia est accidens solum morale, quod non repugnat recipi in subiecto duplici; sic enim etiam una potestas eligendi Episcopum residet in toto Capitulo. *Ad id,* quod ab Adversarijs additur de Eucharistia, negatur paritas; nam in hac duplex species constituit Sacramentum partialè duplex, quia quævis species per se constat ex sua materia, & forma, habetque veram rationem signi, & gratiam confert: non ita contingit in Matrimonio; quia in hoc utriusque consensus, & acceptatio unum constituit Contractum, & unum signum representans unicam unionem Christi cum Ecclesia, quam unionem neuter consensus sine altero representare potest; ergo &c. Ex quo sequitur solutio illius, quod

*Dubitatur: An Sacramentum sit Matrimonium, quod fidelis cum infideli ex Apostolica Dispensatione inuit, ut quondam S. Monica cum Patritio patre S. Augustini, Clothildis cum Clodovæo Francorum Rege adhuc Ethnico? Ita quidem Sot. in 4. dist. 26. art. 3. fin. Joann. Eckius tom. 4. homil. 73. de sacram. existimantes, Sacramentum esse, faltem ex parte conjugis fidelis: cui opinioni videtur patrocinari ratio; quia ejusmodi conjugium est verus Matrimonialis Contractus. Atque huic, si à fideli sit initus, Christus contulit vim, & dignitatem Sacramenti. ergo &c. Conf. Quia tale Matrimonium tribuit sanctitatem aliquam conjugi etiam infideli contrahenti cum conjugè fideli, juxta illud 1. Corinth. 7. v. 14. ubi Paulus, Sanctificatus est, inquit, vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Ergo multo magis sanctitatem conferet parti fideli. Si autem hanc confert, Sacramentum est. ergo &c.*

*Sed dicendum, non esse Sacramentum etiam ex parte conjugis fidelis. Ita Angles flor. p. 1. de Matr. q. 12. de dispar. cult. art. 1. dub. 1. Henric. l. 11. de Matr. c. 2. fin. S. l. 12. c. 13. n. 3. Sanch. l. 2. de Matr. D. 8. n. 2. Gutier. c. 42. de Matr. n. 4. Vasq. de Matr. D. 2. c. 4. n. 10. & c. 10. n. 113. Conink D. 24. dub. 2. concl. 6. Pont. l. 1. c. 6. n. 7. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 2. n. 1. Pal. tr. 28. D. 2. p. 2. n. 11. Pith. hic n. 71. in fin. Schamb. n. 116. Wiest. n. 165. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 1. n. 41.*



& plerique ceteri, præsertim RR. Ratio est; quia sicut unus in utroque conjugè est contractus, ita unum quoque, & utrumque contrahentium efficiens Sacramentum, ut dictum est n. 305. igitur vel in utroque esse Sacramentum debet, vel in neutro, sicut in utroque, vel in neutro est contractus. non potest autem esse Sacramentum ex parte infidelis, utpote qui ante Baptismum est Sacramenti recipiendi incapax. ergo neque ex parte fidelis Sacramentum erit.

308 *Ad Rationem in contrarium allatam* dico, ad statum, & dignitatem Sacramenti solum elevatum esse contractum Matrimoniale inter fideles. hic autem Contractus non est inter fideles initus, sed tantum inter fidelem, & infidelem. *Ad Conf. Sanctificatio*, de qua S. Paulus in textu cit. non est Sacramentalis, utpote cuius, ut modò dictum est, infidelis capax non est; sed eo nomine intelligitur conversio ad fidem, quæ ex cohabitatione, & conversatione cum fidei conjugè separari potest.

309 *Queritur 9. An Matrimonium, ab infidelibus contractum, si isti convertantur ad fidem, transeat in Sacramentum?* Affirmant complures magni nominis DD. qui tamen bifariam dividuntur; nam aliqui cum Sanch. l. 2. de Matr. D. 9. n. 5. Gutier. 6. 42. de Matr. n. 5. Pirh. hic n. 71. Schambog. n. 113. volunt ita transire ipsa Baptismi susceptione. Alij contra cum Petr. de Ledesm. de Matr. q. 59. art. 2. dub. 3. Belarm. l. 1. de Matr. c. 5. in fin. Henriq. l. 11. de Matr. c. 8. n. 1. fin. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 2. n. 6. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 1. n. 44. contendunt hunc transitum primum fieri, quando post Baptismum susceptum conjuges verbis, vel alijs signis externis expressè renovant consensum pristinum. Utrique allegant pro se S. Thom. in 4. dist. 39. q. un. art. 3. ad 1. ubi asserit, Infidelium Matrimonium Sacramentum esse, non actu, sed habitu; videtur enim velle dicere, quòd quidem non sit Sacramentum, dum actu ab ijs contrahitur, sed tale efficiatur, quando baptizantur, vel saltem, quando suscepto Baptismo renovant consensum, ne otiosa sit potentia, si in actum nunquam reduci possit. *Rationem dant*; quia Matrimonium illud Infidelium statim, ac conjuges isti baptizantur, fit ratum, ac insolubile, ita, ut dissolvi amplius nequeat quoad vinculum, etiamsi alter, vel uterque postea à Fide deficiat: & hinc non secus, ac Matrimonium contractum à fidelibus, & consummatum, jam perfectè significat conjunctionem Christi cum Ecclesia. Igitur non minus erit deinceps Sacramentum, ac Sacramentum est, quod initum est à baptizatis. *Conf.* Si deesset aliquid Sacramento, defectus ille se haberet ex parte materiæ, vel ex parte formæ. Atqui neque ex parte ma-

teriæ, neque ex parte formæ defectus est; quia in Matrimonio materia, ut n. 289. dixi, est traditio corporum mutua, forma utriusque conjugis in eam traditionem sibi factam consensus. hic autem consensus non deest; cum enim ad Baptismum quasi ex natura rei consequatur insolubilitas Matrimonij, conjuges infideles hoc ipso, quòd baptizari intendant, virtualiter, & implicite intendunt etiam, ut præteritum Matrimonium sit insolubile, adeoque etiam Sacramentum: & sic consensus eo signo Baptismi expressè est nova materia, & nova forma hujus Sacramenti. *Neque obstat*, quòd consensus iste sit tantum implicitus, & virtualis; nam etsi ejusmodi consensus, in ipsa susceptione Sacramenti inclusus, non sufficeret in ijs, qui nunquam antea erant conjuges, ad contrahendum de novo Matrimonium, sufficit tamen in ijs, qui antea fuerunt conjuges, ad Matrimonium, quod solum novum est in ratione Sacramenti, & insolubilitatis.

Verum probabilius est ejusmodi Matrimonium in Sacramentum nunquam transire. Ita Vasq. in 3. p. D. 138. c. 5. & tom. 4. D. 2. de Matr. c. 10. Coninck D. 24. dub. 2. concl. 7. Pont. l. 1. c. 9. n. 8. Pal. tr. 28. D. 2. p. 2. n. 14. Perez sect. 11. n. 5. Dian. p. 3. tr. 4. resol. 253. Bosco sect. 4. concl. 6. per totam, Wiest. hic n. 167. *Ratio est*; quia ad rationem Sacramenti elevatus est solus contractus secundum Leges humanas perfectus, sive traditio, & acceptatio mutua corporum ad individuum vitæ societatem, & actus ex se aptos ad generationem proles. atqui contractus iste nuptialis non fit actu tempore Baptismi suscepti, nec tempore post hunc susceptum renovati consensus. ergo neutro tempore conjugium infidelium ad Fidem conversorum Sacramentum efficietur. *Major Propositio* constat ex n. 295. *Minor* ostenditur 1. quia consensus ille virtualis contentus in susceptione Baptismi, vel actualis subsequens non est novus contractus, & traditio, sed tantum approbatio contractus, & traditionis jam antè factæ; aliàs quoties fideles contractum prius factum approbant, novum Sacramentum Matrimonij suscipiunt: quod est absurdum. 2. Quia ex Matrimonio ab infidelibus contracto, si dein convertantur ad fidem, suapte quasi natura indissolubilitas, & significatio unionis Christi cum Ecclesia nascitur, neque aliquid ad id contribuit consensus ille virtualis, vel subsequens actualis, utpote quo non dato, adhuc datur ille effectus, quo dato, non augetur. 3. Quia etiam fideles, dum consummant Matrimonium, faciunt, ut hoc acquirat insolubilitatem omnimodam, & perfectam significationem Sacramenti, quam ante consummationem non habebat, neque tamen sic consummando denuo suscipiunt



312. 313. *Effectus Matrimonij communes utri- que conjugum sunt primò Gratia sacramen- talis.*

314. *Secundò Vinculum, & Fides Conjugalis.*  
 315. *Tertiò Legitimitas prolis, & mutua rerum communio.*  
 316. 317. *Quæ sit obligatio conjugum ad co- habitantiam?*  
 318. 319. 320. 321. *Ad alendos Liberos?*  
 322. 323. *Ad usum Matrimonij?*  
 324. 325. 326. *An reddi, & peti debitum possit ab eo, qui cum dubitaret de va- lore Matrimonij, illud tamen mala fide contraxit?*  
 327. 328. *Quid, si dubium superveniat post Matrimonium ab utroque bona fide con- tractum?*  
 329. *An eo casu, si post adhibitam diligentiam, adhuc maneat dubium, ita dubitans possit petere debitum?*  
 330. *Resolvitur Affirmativa.*  
 331. *Respondetur ad Argumenta opposita.*  
 332. *Quid dicendum, quando uterque conjux dubitat de valore Matrimonij bona fide contracti?*  
 333. *An si in hoc casu unus ante adhibitam diligentiam illicitè petat debitum, alter teneatur reddere?*  
 334. *Quid si post adhibitam diligentiam adhuc maneat dubium?*  
 335. *Solvuntur Objectiones.*

**E**ffectus Matrimonij sunt triplicis gene- ris; nam aliqui communes sunt ut- riq; Conjugi, alij Marito, alij Uxori prop- rij.

312. **Q**uæritur I. Quinam sint Effectus com- munes utriq; Conjugi? *1.* Quin- que maxime enumerantur. Inter hos Pri- mus, & inter cæteros eminens est *Gratia*,

post Baptismum transeat in Sacramentum, sed ex duplici alia causa, quarum prima est; quia dissolutio Matrimonij infidelium solùm permiffa à DEO est favore Religionis Chri- stianæ, quæ causa, utroque conjugè ad Fidem converso, cessat. Altera est Mat- rimonij consummatio, post quam nec in- gressu Religionis, nec dispensatione Aposto- lica solvi potest. *Ad Conf.* Patet ex di- ctis *n. præc.* quòd ille solùm consensus con- stituere Sacramentum in Matrimonio pos- sit, qui est traditio mutua corporum, & hujus traditionis acceptatio, atqui consensus ille virtualis inclusus in Baptismo, vel actualis subsequens, ut *ibidem* ostensum est, non est traditio talis, sed acceptatio tantùm tra- ditionis jam antè factæ. ergo &c.

## §. III.

## De Effectibus Matrimonij, &amp; mutua Obligatione Conjugum.

## S U M M A R I U M.

336. 337. *Quid Juris, si post contractum bo- na fide Matrimonium, habeatur opinio probabilis de nullitate Matrimonij?*  
 338. *Quinam sint effectus singulares Matrimonij ex parte mariti?*  
 339. *Quæ sit obligatio uxoris erga maritum suum?*  
 340. *Quando virum mutantem domicilium non teneatur sequi?*  
 341. *An marito Illustri erga uxorem Illustram Jurisd. etio competat? Argumenta sen- tentiæ negantis.*  
 342. *Fundamenta affirmatiæ sententiæ.*  
 343. *Respondetur ad Argumenta primæ.*  
 344. *Quam potestatem maritus habeat in Libe- rorum suorum personas?*  
 345. *Et bona?*  
 346. *An solvatur per Nuptias filij?*  
 347. *Effectus Matrimonij uxori proprii sunt primò, ut participet dignitatem, & no- bilitatem mariti?*  
 348. *Ubi de casu, quo illa nubit marito condi- tionis inferioris.*  
 349. *Secundò, ut participet pleraque ejusdem privilegia.*  
 350. *Tertiò, ut acquirat idem cum eo domici- lium, & forum.*  
 351. *Quartiò, ut petere ab eo alimenta possit, nisi temere ab ipso discedat.*  
 352. *Vel dos promissa non sit numerata.*  
 353. *Vel maritus sit pauper.*

quam Matrimonium, ut Sacramentum est, confert conjugibus fidelibus, prout defini- vit Sacra Synodus Trid. *sess. 24. can. 1. de Sac. matr.* Quem effectum, si conjuges per peccatum grave in hujus Sacramenti sus- ceptione impederint, possunt eundem re- cuperare, si durante Matrimonio removeant obicem. *Suar. D. 29. sect. 6. v. secundò hinc*



*infero. Conink de Sacram. in gen. q. 62. art. n. dub. 5. n. 76. Laym. l. 5. tr. 1. c. 7. n. 5. Pal. tr. 13. D. un. p. 9. n. 5. §. ob eandem. König hic n. 114. Ratio est; quia vivente altero conjuge, Sacramentum hoc iterari non potest, sed recipientem constituit in statu quasi immutabili: & propterea credendum non est voluisse Christum hoc Sacramentum fidei suscipientem privare illius effectu, sed potius præsumendum voluisse concedere, si ipse capacem sese reddiderit, & ante illius solutionem removerit obicem; quod fieri potest vel Contritione vel Attritione cum Sacramento Pœnitentiæ.*

**813** Dixi autem notanter, *Si ante solutionem Matrimonij removerit obicem*; quia si primùm, soluto per mortem alterutrius conjugio, impedimentum removeatur, nulla adest causa, ob quam affirmemus tunc concedi gratiam, quæ per obicem in susceptione ipsa Sacramenti impedita fuit: vel enim pars superflua in statu Viduitatis intendit persistere, & tunc gratiâ illâ, quæ per Sacramentum Matrimonij confertur, non indiget, cum illa detur ad sustinenda onera Matrimonij: vel alias nuptias cogitat, & tunc si rite disposita illas contrahat, Gratiam Sacramentalem in harum contractu recipiet.

**814** 2. Effectus communis est *Vinculum conjugale*, vi cuius obligantur ad individuum vitæ societatem, alter tamen in Matrimonio tantùm legitimo, aliter in Rato, & aliter in consummato. Nam Matrimonium legitimum etiam consummatum solvi potest, quando unus Conjugum convertitur ad Fidem, alter in infidelitate permanet, & cohabitare converso aut non vult, aut non sine injuria Creatoris. Ratum solvi Dispensatione Apostolica, & Professione Religiosa potest. Consummatum fidelium sola morte solubile est: de quo *infra Tit. 19. de Divort.*

3. *Fides Conjugalis*: quæ tria ab ipsis Conjugibus exigit. 1. Ut conjuge vivente, quantumvis diutissimè absit, cum alia persona matrimonium alter non contrahat, nec ullo modo sive in affectu, sive in effectu carnaliter commisceatur *c. in presentia 19. h. tit.* 2. Ut vir, & uxor sibi debitum reddant. 3. Ut ambo conjuges mutuò cohabitent, amorémque, & amicitiam mutuam sibi exhibeant.

**815** 4. *Bonum Proles*: quod & ipsum tria continet. Primum est Legitimitas Proles; nam Proles, ex Matrimonio aut verè, aut putativè justo suscepta, Legitima efficitur, & capax successionis in bona paterna, & materna, nisi sint Filij Morganatici: de quibus supra à n. 237. 2. Recta prolium educatio in probis moribus, vera Religione, pietate, & artibus: quæ stante Matrimonio principaliter incumbit Patri, tanquam familiæ capiti; hoc soluto, transit

ad Matrem *l. educatio 1. C. ubi pupill. educar. si, ut l. cit. dicitur, non vitricum eis induxerit.* 3. Alimentatio earundem: quæ præcipuè onerat Patrem *l. si quis 5. §. sed utrum 1. ff. de agnosc. & alend. liber.* in hujus defectum Ascendentes paternos tangit *l. cit. §. sed utrum, & §. utrum autem 2.* & his deficientibus denique ad Matrem, hæcque mortua ad Ascendentes maternos transit *l. cit. §. ergo & matrem 4. & l. non quemadmodum 8. ff. eod.*

5. *Mutua rerum, & bonorum communio*, non quoad proprietatem, sed promiscuum usum, siquidem Jure communi nec res mariti uxoris sunt, nec res uxoris (excepta dote) mariti *l. cum aliter 1. §. si vir 15. ff. de S. C. Silianian. l. hac lege 8. & l. fin. C. de pact. convent. & tot. tit. C. ne uxor pro marito &c.* Hæc satis certa: sed quia ampliorum sui explicationem exigunt, idcirco ulterius.

**Dub. 1.** *Quæ sit obligatio conjugum ad cohabitandum?* 1. Conjuges tenentur simul habitare, non tantùm in eadem domo, sed etiam communi mensa, & thoro uti, saltem ut plurimùm *c. pervenit 1. & c. quoniam 2. de conjug. leprof.* Colligitur etiam ex illo *Gen. 2. Propter hoc relinquet homo patrem suam, & matrem suam, & adhaerebit uxori suæ &c.* & confirmatur ex illo *Matth. 5. Omnis, qui dimiserit uxorem &c.*

*Excipitur 1.* nisi uterque in separationem thori consentiat; nam cum consensu utriusque separatio ejusmodi fieri potest, quod indicat S. Paulus *1. Cor. 7. Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus &c.* modò adest legitima causa, & absit periculum incontinentiæ in utroque conjuge.

*Excipitur 2.* si iusta causa subsit, ut si vir evocetur ad bellum à Principe, vel ob gubernandam, & regendam Provinciam abesse cogatur; tunc enim discedere maritus ab uxore etiam invita potest, & tandiù abesse, quamdiù negotiorum tractandorum, quorum causâ abest, ratio petit: & ratio est; quia tunc uxor non est rationabiliter invita.

*Excipitur 3.* Si brevè sit reversurus, ut si brevem peregrinationem instituire velit; nam & hanc instituire invitâ uxore potest, ex ratione paulò antea data, quia scilicet tali casu uxor non potest esse rationabiliter invita.

Extra hos casus non potest maritus ab uxore discedere: imò si etiam ex causa necessaria discedat, ita, ut diu non sit reversurus, tenebitur secum ducere uxorem, si sumptus necessarij ad secum ducendam uxorem suppetant, ut rectè Sanch. *l. 9. D. 4. n. 14. Pal. tr. 28. D. 3. p. 5. §. 1. n. 5.* apud quos plura de obligatione ad cohabitandum *D. 4. & §. 1. cit.*

Dubj



818 Dub. 2. Quæ sit obligatio utriusque conjugis ad alendos liberos? *¶* Ad alimentationem, ut *n. 315.* dixi, principaliter tenetur Pater, Mater in defectum duntaxat. Et hoc verum est. 1. Non tantum si Liberi triennium jam exceperint, sed etiam si recens in lucem hanc editi fuerint; imò si adhuc in utero delituerint *l. curator s. ff. de ventr. in possess. mittend.* quantumvis enim in *l. nec filium 9. C. de patr. potest.* Insinuari videatur, quòd ad alimenta primo triennio præstantia obligetur mater, id tamen, ut rectè *l. cit.* cum alijs explicat Lauterbach *tit. de agnosc. & alend. liber. §. 13.* solum intelligendum est de alimento lactis, non de cæteris, quæ statim pater subministrare tenetur *l. si competenti 3. C. eod. Coler. tr. de aliment. l. 1. c. 6. n. 4. Miller. ad Struv. Exercit. 25. th. 74. Magnif. P. Schmier p. 2. de matr. c. 3. n. 110. §. 111.*

819 2. Extenditur etiam ad filios naturales, & illegitimos, etiam Spurijs, ut patet ex *c. cum haberet 5. in fin. de eo, qui duxit &c.* à quo correctum est Jus Civile prohibens alimenta præstari Spurijs, sive ex damnato coitu natis. *Auth. ex complexu C. de incest. nupt. & Novell. 89. c. 15.* quam Juris Ecclesiastici dispositionem etiam in foro seculari servandam, allegatis præjudicijs, velut pro certo tradunt Gaill. *l. 2. obj. 88. n. 4. §. 12. Coler. l. 1. cit. c. 3. à num. 33. Lauterbach, l. cit. §. 16.* Ratio est; quia Juri naturali repugnare videtur, ut proles, quæ delictum non commisit, sit inferioris conditionis, quam brutum, atque à parentibus, à quibus accepit vitam, per subtractionem alimentorum vitâ denuo spoliatur.

820 3. Extenditur non tantum ad cibum, & potum, sed ad vestitum *l. verbo 43. ff. de V. S. habitationem l. legatis 6. ff. de aliment. vel cibis, legat. suppellectilem domesticam, & medicamenta. Coler. de aliment. l. 2. c. 1. n. 2. Miller. l. cit. thes. 77. in not. à Lit. A. & cætera, quibus tuendi, curandæve corporis nostri gratiâ utimur, ut loquitur Cajus *l. & cætera 44 ff. de V. S.* Imò etiam ad sumptus pro Studijs; nam licet Pater ad studia applicare filium, nisi conditio Status hoc exigat, & sumptus pro istis subministrare non teneatur, si tamen ad ea ipsum semel admovit, & is capacitati ingenij adjungat industriam, & profectum, impensas (si ulterius istud possit) largiri deinceps compellitur. *Miller. l. cit.**

821 Cessat autem hæc obligatio alendi liberos in Parentibus casu duplici. *Primus est;* si filij aliunde sustentationem sufficientem habeant, aut per exercitium artis vel liberalis, vel mechanicæ, famularumve honestum acquirere illam possint; tunc enim, si spectata personæ, & status qualitate hoc possint, parentes alimenta ipsis subministrare non tenebuntur *l. si quis 5. §. sed si filius*

*7. ff. de agnosc. & alend. liber. Alter casus est,* si talem in parentes commiserunt ingratitude, ut exheredari valeant *l. si quis cit. §. idem Judex 11.* nam, ut *ibidem* notat Gothofred. *Lit. S.* ex quibus causis potest parens filium exheredare, ex iisdem potest eidem denegare alimenta, & dotem.

Dub. 3. Quæ sit obligatio Conjugum quoad usum Matrimonij, seu actum conjugalem? *¶* Uno petente, alter tenetur reddere; petere verò debitum per se neuter tenetur.

*Pars 1.* habetur ex *S. Paulo 1. Corinth. 7. v. 3.* ubi Apostolus, *Uxori,* inquit, *vir debitum reddat, similiter autem uxor viro.* Item *Gen. 2.* ubi dum DEUS ad primos nostros Parentes, *Crescite,* inquit, *& multiplicamini,* præcipit actum conjugalem. Estque obligatio hæc ex genere suo gravis, ita, ut mortaliter peccet Conjux debitum negans, si istud alter conjux serio, instantè, & rationabiliter petat, nec ulla interveniat causa legitimè excusans ab obligatione reddendi, ut communiter docent Theologi. *Ratio est;* quia conjux per ipsum Matrimonij contractum corporis sui dominium in ordine ad actum generationis in alterum transtulit. Ergo hic vi contractus, adeoque ex Justitia tenetur reddere debitum. *Et hinc sequitur,* actum conjugalem per se, & ex natura sua licitum, & honestum esse, ut habet Catholica Veritas contra quosdam Hæreticos, præsertim Manichæos, qui Matrimonium volebant esse malum. Convincitur sequela manifestè veritatis; nam DEUS, ut dictum est, præcepit actum conjugalem; actum autem ex se malum DEUS non potest præcipere. Ergo &c.

*Pars altera ex eo ostenditur;* quia nullus tenetur uti jure suo, quod per se ad salutem corporis, vel animæ non est necessarium, & quod per se tantum, & in suum jus illud habentis commodum introductum est, sed potest juri suo is renunciare *c. ad Apostolicam 16. de Regular.* tale jus est jus petendi debitum conjugium competens. Ergo &c. Addidi autem *per se;* quia per accidens, non quidem ex propria obligatione Justitiæ, sed ex Charitate conjux tenetur petere debitum, si ex signis colligat, aut credat alteri conjugi aliàs imminere periculum incontinentiæ, quod petendo possit avertere: hujusmodi autem petere est moraliter reddere. *Schamb. hic n. 175.*

Dub. 4. An reddi, & peti debitum possit ab eo, qui cum dubitaret de valore Matrimonij ob suspensionem latentis impedimenti, illud tamen mala fide contraxit? *Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. v. alia verò, & dist. 37. q. un. art. 5. ad fin. v. dum verò conjugatus cum quibusdam alijs putat, eum nec posse petere, nec reddere debitum. Rationem dant;* quia possessio mala fide



fide incepta non suffragatur, & ita claudicat Matrimonium ex parte habentis malam fidem, ergo non potest petere debitum. Sed neque reddere potest; cum enim dubitet, an validum sit revera Matrimonium suum, reddendo debitum exponeret se fornicationis periculo.

225 Sed dicendum, hunc non posse debitum conjugale petere, posse tamen reddere alteri, qui bona fide contraxit. Ita Sylv. V. Matrimonium 4. q. 9. dist. 3. Henricus, l. 12. de matr. c. 6. n. 5. § 7. comment. Lit. S. Barth. à Ledesm. dub. 20. de Matr. concl. 1. Sanch. l. 2. de matr. D. 42. n. 2. Conink D. 34. de matr. dub. 10. n. 101. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 23. Pal. tr. 28. D. 3. p. 5. §. 9. n. 6. Pirh. hic n. 180. & probatur arg. c. significavit 2. de secund. nupt. ubi deciditur, conjugem, qui nondum de prioris sui conjugis obitu certus contraxit, non posse debitum petere, etsi hoc negare non possit postulanti, qui bona fide contraxit.

Partem 1. responsionis probat Argumentum in ratione dubitandi allatum; quia scilicet jus petendi debitum non acquiritur, nisi per contractum bona fide ininitum, & possessionem bonæ fidei, atqui talis conjugum, dum fide dubia contraxit, iniit contractum Matrimonium mala fide, ergo per eum contractum non acquisivit jus petendi debitum.

226 Pars 2. offenditur; quia alter ratione contractus bona fide initi est possessor bonæ fidei, adeoque habet jus petendi, & utendi re, quam bona fide putat esse suam. Igitur jure suo spoliari non debet ob malam fidem alterius, quamdiu non constat nullum esse Matrimonium. Spoliaretur autem jure suo, si negaretur illi debitum, Ergo &c.

Ad Argumentum in contrarium allatum dico, eam fornicationem, si fortè Matrimonium sit nullum, solum esse materialem: major autem est obligatio non irrogandi certam injuriam alteri conjugi, quam vitandi periculum materialis fornicationis, quod dubitans evitare nequit, nisi cum injuria alterius.

227 Dub. 5. An reddi, & peti debitum possit, si post Matrimonium bona fide conjugis utriusque contractum, uni superveniat dubium de valore illius? Plerique DD. in hoc conveniunt 1. quòd teneatur reddere debitum alteri conjugi non dubitanti: & probatur hoc eo modo, quo pars secunda responsionis ad Dubium præcedens; quia scilicet propter dubium, vel etiam probabiles, non tamen certas rationes non potest alter privari possessione Juris sui justè acquisita; ad hoc enim requiritur, ut aliquis sit certus rem non esse possidentis.

2. Consentiant in id omnes, non posse petere, antequam adhibuerit sufficien-

tem diligentiam ad veritatem cognoscendam: quia generaliter, quando quis dubitat, an res sit sua, quamvis eam retinere possit, non tamen potest eam uti, donec veritatem inquirat; frustra enim inquireret, si non teneretur eam domino conservare. Ergo similiter in nostro casu non potest conjugum dubitans debitum petere, quod est uti Matrimonio, & actus dominij, etsi possit reddere, quod est solum pati actum dominij alterius, qui cum sit bonæ fidei possessor, non potest eo injustè privari.

Difficultas est, an si adhibitâ diligentia, adhuc maneat dubium, ita dubitans debitum possit petere? Videtur non posse petere. 1. Quia si cum tali dubio conjugum dubitans petat debitum, periculum est fornicationis, cum periculum sit, an non sit invalidum Matrimonium. 2. Ante adhibitam diligentiam illicitum est petere debitum conjugum dubitanti. Ergo etiam si post adhibitam diligentiam dubium illud remaneat. 3. c. inquisitioni 44. de sent. Excomm. dicitur, si conscientia pulset animum ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta; debitum quidem reddi posse, sed postulari non debere.

Sed respondendum est affirmativè. Ita Sot. l. 4. de Just. q. 5. art. ult. ad fin. & in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. v. inò varò, & dist. 37. q. un. art. 5. ad fin. v. dum verò conjugatus, Henricus, l. 12. de Matr. c. 6. n. 5. § 7. Sanch. l. 2. de Matr. D. 41. n. 46. § 47. Conink D. 34. de Matr. dub. 10. n. 105. Pal. tr. 28. D. 3. p. 5. §. 9. n. 6. in fin. Pirh. hic n. 181. Ratio est; quia generaliter loquendo bonæ fidei possessor, si dubitet rem esse alienam, & post sufficiens examen nequeat dubium deponere, potest non tantum rem detinere, sed etiam illam uti, vel eam alienare; cum enim tali justè concedatur possessio, etiam concedi debent, quæ illam subsequi solent. Igitur etiam conjugum dubius, si præmissò examine adhuc dubius maneat de valore Matrimonij, potest uti Matrimonio petendo, & reddendo debitum. Conf. quia iniquum videretur aliquem propter dubium superveniens, quod post adhibitam diligentiam deponere nequit, perdere jus legitime acquisitum. Atqui ante hoc dubium conjugum bona fide contrahens habuit jus petendi debitum. Igitur non obstante tali dubio superveniente, quod bonam fidem in possessore non tollit, nec interrupt, illud jus retinebit.

Neque resolutionem istam evertunt Argumenta n. 329. allata. Ad 1. eo casu non est periculum fornicationis formalis, vel peccaminosæ; quia stante hoc dubio speculativo de valore Matrimonij, potest simul consistere judicium practicum, quo prudenter judicatur, licitum esse hic & nunc usum juris conjugalis justè acquisiti: quod formari potest ex communi Regula, quia



quia in dubio melior est conditio possidentis, & in dubio nemo privandus est jure semel legitime acquisito. *Ad 2.* quod ante adhibitam diligentiam conjux dubitans non possit petere debitum, causa non est tantum, quod adsit dubium speculativum de valore Matrimonij, sed quia nondum est adhibita debita diligentia ad illud deponendum. Igitur quando post adhibitam debitam diligentiam dubium adhuc manet, illud impedire non amplius potest petitionem debiti, cum in hoc obligationi suae dubitans jam satisfecerit, qui solum tenetur inquirere, quod ante ejusmodi inquisitionem formare prudens judicium nequeat, an usus conjugij ipsi licitus sit, vel illicitus. *Ad 3.* in c. cit. vel tantum agitur de conjuge, qui ab initio mala fide contraxit Matrimonium, quia scilicet dubitabat, vel dubitare debebat de ejus valore, ac proinde nunquam fuit bonae fidei possessor; vel locus ille intelligendus est de dubitante, qui diligentiam sufficientem inquirendae veritatis non adhibuit, adeoque interim jure suo uti non potuit.

Dub. 6. Quid dicendum, quando uterque conjux dubitat de valore Matrimonij bona fide contracti? *Certum est* hoc casu neutrum posse petere ante praemissum examen debitum juxta dicta n. 328. Post examen sufficiens adhibutum, si adhuc persistat dubium, juxta resolutionem n. 330. datam petere uterque potest.

An verò, si in hoc casu unus ante adhibitum examen sufficiens illicitè petat debitum, alter teneatur reddere, difficultas est. *Affirmant* Cordub. *summ.* q. 45. p. 3. fol. 113. *Henriq. l. 12. de Matr. c. 6. n. 5. comment. lib. T. Barth. à Ledesm. dub. 20. de Matr. concl. 1. Petr. de Ledesm. de Matr. q. 45. art. 1. ad fin. §. ad hoc dubium respondetur. Fundantur 1.* quia in dubio melior est conditio possidentis, uterque autem in hoc dubio possidet. *2.* Quia non obstat, quod illicitè petat; nam etiam illicitè petit conjux ligatus Voto simplici Castitatis, & tamen alter ita petenti tenetur reddere debitum.

Sed dicendum non teneri, nec posse in casu dato petenti reddere debitum, quando novit petentem esse dubium de valore Matrimonij, & nondum adhibitam diligentiam ad debiura illud vincendum. Ita *Sanch. l. 2. de Matr. D. 41. n. 55. Pirh. bic n. 183. Ratio est;* quia diligentiam sufficientem non praemissam, possessio in dubio non confert jus utendi re. Ergo conjux tunc petens petit id, ad quod nullum jus habet, & ad quod possessio non suffragatur. Atqui si petens jus nullum habet, alter nequit reddere, si etiam ipse dubitat; tota enim ratio, ob quam tenetur & potest reddere, est, ne alter jure quaesito privetur, quod in tali casu non fit.

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

*Dixi diligentiam sufficientem non praemissam;* quia hac adhibita uterque potest reddere, cum post sufficientem inquisitionem possessio conferat jus ad omnem usum. *Addi,* *petiam aliter dubitet, non teneri, nec posse reddere petenti;* quia exponeret se, & compartem periculo peccandi, & fornicationis non tantum materialis, sed formalis, cum talem redditionem jus nullum petentis legitimet. Aliud est, si unus duntaxat dubitet, & petat à non dubitante ante praemissum examen debitum; nam tali casu, etsi conjux non dubitans, conficius dubij alterius, possit negare debitum (quia petens jus ad petendum tali casu non habet) potest tamen reddere, ut notat *Sanch. l. cit. n. 56.* *Rationem dat;* quia cum ipse sit in possessione pacifica, nec dubitet de Matrimonij valore, nec teneatur credere alteri asserenti, nedum dubitanti, potest uti plenè sua possessione petendo, & reddendo.

*Ad 1. Arg. n. 332. propositum dico;* in casu praesentis dubij meliorem esse conditionem possidentis, ne uxore spoliatur, non verò ut habeat jus usus Matrimonij; nam hoc jus dubium superveniens impedit, & suspendit, usque dum adhibita sit debita diligentia ad veritatem assequendam. *Ad 2.* nego paritatem: quia ligatus Voto simplici Castitatis habet jus verum ad petendum debitum, quamvis impeditum Religionem Voti; & hinc quando petit, licet contra Religionem peccet, tamen verè sibi debitum petit. At qui dubitat, an Matrimonium suum validum sit, caret jure petendi, & possessionis suffragio, donec impendat diligentiam.

Dub. 7. Quid Juris, si quis post Matrimonium bona fide contractum utrinque habeat opiniones probabiles & de valore Matrimonij, & de nullitate illius? *R.* In tali casu potest reddere, & petere debitum; quia licet amplecti opinionem probabilem valoris Matrimonij. Ita *Petr. de Ledesm. de Matr. q. 45. art. 1. ad fin. in solut. ad ult.* *Sanch. l. 2. de Matr. D. 44. n. 4. Pirh. bic n. 183. fin.* Imò, ut idem *Sanch. l. cit.* notat, id potest, etsi probabilius crederet non valere Matrimonium, modò habeat opinionem verè probabilem de valore ejusdem. Ratio est; quia potest se conformare opinioni probabili, etiam probabiliore relicta.

Aliud esset, si adesset credulitas de nullitate, & contra hanc non militaret aliud judicium probabile; nam tali casu, etiam post adhibitam diligentiam, si opinio de nullitate deponi non potest, ita opinans petere debitum nequit: in quo distinguitur opinans à dubitante; dubitanti enim post diligens examen suffragatur possessio, non verò habenti assensum opinativum. *Sanch. l. cit. n. 2.* *Reddere tamen debitum altero*

K

pe-



petente debet, prout patet ex c. *inquisitioni* 44. de sen. Excomm. ibi, si habeat conscientiam ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta, reddere debet. Ratio est; quia ut possim alium sua possessione spoliare, oportet me esse certum rem non esse suam. Est autem in hoc casu aliter non dubitans, sed credens Matrimonium esse validum, in possessione legitima Matrimonij. Ergo &c.

338 Quæritur 2. Quinam sint effectus singulares Matrimonij ex parte Mariti? R. Inter hos præcipue eminent duo, scilicet Potestas Maritalis, & Patria. Illa se ad uxorem extendit, quam viro, tanquam capiti, in ordine ad gubernationem, & administrationem domesticam subjicit juxta ordinationem Divinam Gen. 3. v. 16. Ephes. 5. v. 22. & 1. Corinth. 11. Ista circa Liberos occupatur, vi cuius Maritus personas illorum regere, actiones ipsorum in bonum familiæ dirigere, & res eorum (servata Peculiorum distinctione) ad utilitatem propriam applicare conceditur, per ea, quæ congerunt Inerpp. ad tit. Inst. de patr. potest.

339 Dub. 1. Quæ sit obligatio uxoris erga maritum suum? R. 1. Non potest uxor à viro discedere, etiam peregrinandi causâ ad locum sacrum, sine viri consensu, & extra necessitatis casum. Sanch. l. 9. de Matr. D. 4. n. 15. 2. Tenetur in ijs, quæ ad familiæ convenientem administrationem pertinent, obedire præceptis mariti. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 2. n. 1. Et hinc etiam marito permissum est uxorem, si immorigera, & refractaria sit, castigare, moderatè tamen; quia non ancilla, sed conjux est, & adiutrix domesticæ administrationis. Laym. l. cit. 3. Si vir domicilium mutet, tenetur eundem sequi uxor can. unaqueque 3. caus. 13. q. 2. ibi, Unaqueque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte. In quo dispar est ratio viri, & mulieris; nam vir non tenetur sequi uxorem, nisi hæc ob casum necessarium cogatur domicilium mutare, cum tamen ipse pro libitu suo sibi domicilium eligere possit, & uxorem cogere regulariter loquendo, ut illum sequatur. Sanch. l. 1. de Matr. D. 41. n. 16. Schambog. hic n. 172. König ibid. n. 115.

340 Dixi Regulariter; nam plures sunt casus, in quibus neque mulier tenetur sequi virum mutantem domicilium, prout videre est apud Sanch. D. 41. cit. Pirh. hic n. 174. Schambog. n. 172. Talis est 1. si in Pactis Matrimonialibus certus locus habitationi sit destinatus; tunc enim uxor virum ab eo loco discedentem sequi non tenetur, nisi nova causa discedendi superveniat antè non prævisa, ob quam vir necessariò debeat proficisci aliò: de quo dictum est supra à n. 120. 2. Si sine gravi detrimento corporis, vel animæ virum sequi non

possit; quia urgentius est præceptum abstinendi à peccatis, vitamque tuendi. 3. Si vir hinc inde vagetur, & uxor nescivit, quòd ille consuetudinem vagandi habeat: secus, si scivit; nam si nihilominus ei nupsit, tacitè ad eum sequendum se obligavit. 4. Si vir peregrinationem longam, etiam pietatis causâ, instituere vellet, & commodè eum uxor sequi non posset. 5. ut Bald. in l. si cum dotem. §. si maritus. n. 1. ff. solut. Matr. cum alijs putat, quando vir ob delictum in exilium mittitur à domicilio. Sed probabilius alij apud Sanch. l. cit. n. 13. docent eam teneri, ut virum sequatur in exilium; quia sequi debet infortunium viri l. si cum dotem cit. §. fin autem. Neque hoc est puniri uxorem ob viri delictum, sed poena imponitur viro, & quia uxor Jure Divino tenetur eum sequi, ex causa necessaria, & inevitabili aliò migrantem, per accidens id infortunium patietur uxor.

Dub. 2. An Marito Illustri erga Uxorem Illustrem Jurisdictione competat, ita, ut eam tam in Civilibus, quam in Criminalibus judicare possit? Negat Myler. ab Ehrenbach. Gamol. Person. Illustr. c. 7. n. 22. ullam Jurisdictionem marito hoc casu in uxorem competere; eò, quòd uxor mariti sit focia l. nuptie 1. ff. de rit. nupt. l. adversus 4. C. de crim. expilat. hered. & si maritus sit Princeps, ac Status Imperij, etiam ipsa immediata persona Imperij esse putetur. Decian. Conf. 222. n. 3. Cravett. conf. 829. n. 5. adeoque par sit marito. Atqui par in parem Imperium, aut Jurisdictionem non habet per l. nam Magistratus 4. ff. de recept. qui arbitr. igitur fieri non poterit, ut maritus eumperet, tanquam subditæ, & in eam Jurisdictionem exerceat; & hinc siquis uxori Illustri litem movere velit, vel Austregas, vel Cameram Imperialem pro causa qualitate adire tenebitur. Lymnæus de Jur. Publ. l. 9. c. 5. n. 60. Gaill. l. 1. obs. 1. n. 17. & seqq.

In contrarium inclinat Stryk Us. mod. Pandect. tit. de Jurisd. §. 29. Vitriar. Inst. Jur. Publ. l. 3. tit. 17. §. 10. Schüz Coll. Jur. pub. vol. 1. D. 3. th. 32. quorum sententiam theoreticè veram existimat König hic n. 117. & veram, licet priorem in judicando sequendam putet. 1. Quia ex vulgato quilibet Princeps in suo Territorio tantum potest, quantum Imperator in Imperio, nisi quid nominatim inveniatur exceptum. Gaill. l. 1. de Pac. publ. c. 6. n. 10. Augusta autem Imperatori subdita est arg. l. Princeps 31. ff. de LL. adeoque etiam coram Imperatore conveniri potest. Lymnæus ad Bull. Aur. c. 5. §. 3. obs. 4. n. 2. igitur etiam uxor Principis, aut Status Imperij se à Jurisdictione mariti sui nequit eximere. 2. Quia uxor Illustris per nuptias transeundo in territorium mariti sui ibi constituit domicilium. Sed hoc ipso, quòd aliquis



aliquis in territorio alicujus domicilium sibi constituit, Domini territorialis propriè fit subditus, ut docet ipsemet Myler ab Ehrenbach de Princip. & Stat. Imp. c. 38. n. 7. quod etiam in Principibus, & Statibus Imperij obtinere afferunt non pauci apud Tileman de Benign. Decis. Camer. Synt. 2. dec. 7. vol. 10. licet alij negent apud Ziegl. de aur. prax. Calvoli S. Landessij n. 24. & seqq. 3. Debitor fortitur forum in loco Contractus, & delinquens in loco delicti per dicta Libr. 2. Tit. 2. à n. 30. & à n. 39. ergo etiam uxor fortitur forum sub Jurisdictione mariti, si in ejus territorio contrahat, vel delinquat: cujus reiplura exempla enumerat P. Otto Aicher Histor. quart. Monarch. l. 5. c. 3. q. 2.

341 Neque obstant allegata in contrarium. Ad 1. uxor tantum Socia est domesticæ curæ, non verò Imperij, & Jurisdictionis maritalis. Vitriarius S. 10. cit. Ad 2. uxor immediata persona est, ut maritus, extra potestatem, & territorium mariti, conceditur: intra illud, negatur; nisi hoc ipsi maritus gratiose concesserit. Ad 3. Regula illa, quod par in parem Jurisdictionem non habeat, limitari debet, nisi alter alterius se Jurisdictioni subjecerit, quod in casu præsentis femina nubendo existimatur fecisse.

344 Dub. 3. Quam potestatem Maritus habeat in Liberorum suorum personas, & bona? w. Quoad personas olim Patria potestas in Liberos tanta fuit, quanta dominorum in Servos, h. e. jus vitæ, & necis l. in suis 11. fin. ff. de Liber. & posthum. l. fin. C. de patr. potest. Sed hoc jus successu temporis limitatum est, & relicta patri solum facultas terminandi controversias domesticas, & liberos, si parere liberè non velint, castigand. l. si filius 3. & l. seq. C. eod. König hic n. 117. §. patria potestas.

345 Eodem modo restricta etiam est Parentum potestas in bona Liberorum, quæ olim tam ampla fuit, ut quidquid ad Liberos perveniret, hoc parentibus suis ad instar servorum acquirerent. Nam sequentibus temporibus Peculiorum distinctio introducta est, & sancitum, ut Pater vi Patria potestatis in Peculio profectitio plenum dominium, in Adventitio Regulari solum Usumfructum obtineat, in Adventitio Regulari solum Usumfructum ordinario, & à fortiori in Castrensi, vel quasi Castrensi omne jus filij, nec quicquam in ijs competat Patri S. igitur 1. Inst. per quas person. cuiq. acquir. l. cum oportet 6. C. de bon. quæ liber. Novell. 117. c. 1. König n. 117. cit. §. eod.

346 Porrò potestas Patria non obinde solvitur de Jure communi, esto, liberi ad nuptias convolent, prout aperte patet ex S. fin. Inst. de patr. potest. l. injuria 1. §. fin. ff. de injur. De Jure communi, inquam; nam variarum Nationum consuetudine obtinuit, ut si liberi conjugati separatam habeant Oecon-

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

miam, patria potestas solvatur. Stryk. ad ff. tit. de Adoption. §. 22. & seq. quod tamen non ubique obtinet, prout testatur Lauterbach. ad ff. tit. de Rit. nupt. §. 82. & hinc ibi locus erit dispositioni Juris communis.

Quæritur 3. Qui sint effectus Matrimonij uxori proprij? w. Tres sunt præcipuè.

1. Quod participet dignitatem, & nobilitatem mariti. De Dignitate perspicuus occurrit textus l. femina 8. ff. de Senator. & l. mulieres 13. C. de Dignit. & ideo si Princeps, aut Comes Imperij ducat inferioris conditionis uxorem, statim dignitatis suæ radios in hanc derivat, ut Princeps, Ducissa, vel Comitissa salutari debeat, nisi fortè Matrimonium sit inæquale, seu ad Morganaticam contractum: de quo supra a n. 237. Stryk. ad ff. de Senator. §. 6. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 3. n. 18. De Nobilitate, quod à Marito transferatur in uxorem, post Tiraquellum, Befoldum, Hooping, & alios cum communi docet idem Stryk §. 7. & meritò; nam l. mulieres cit. hoc expressè statuitur ibi, Genere nobilitatus. Hæc tamen nobilitas à Marito illustri in Matrem plebejam ita transfusa, eam vim non habet, ut ex ea descendentes Canonicatum capaces fiant in Ecclesijs Cathedralibus, & alijs, in quibus nobilitas utriusque parentis, & avorum requiritur. Magnif. P. Schmier l. cit. n. 28.

An autem vice versa, si femina nubat marito conditionis inferioris, pristinam suam dignitatem, & prerogativas amittat, & mariti dignitate, honorè que esse contenta debeat, dubitari potest? Et videtur respondendum affirmative; quia vulgato asserto priorum statum, & conditionem amittere dicitur per l. femina 8. ff. de Senator l. cum tu 10. C. de Nupt. Sed cum Stryk l. cit. §. 9. distinguendum est inter prerogativas connatas, qualis est nobilitas, ac illustris conditio, quam femina talis accepit ex sanguine; & inter participatas, quas accepit ex officio patris, quia hic v. g. fuit Consul, Consiliarius, aut Minister Principis. Has posteriores, dum nuptias cum marito sortis diverse pangit, amittit; quia per nuptias à familia patris egreditur, nec paternorum jurium particeps remanet, sed mariti sortem consequitur l. cum tu cit. Priores, quia sanguini, quem femina per Matrimonium non exuit, coherere videntur, retinet l. cum tu cit. & l. ff. ut 1. C. de dignit. & sic passim obtinuit praxis, quæ videmus filiam Regis, Ducis, Principis, Comitissæ, Baronis &c. etiam post nuptias cum inferiori marito contractas, titulo tamen, quem antecesserit ex natalium splendore accepit, adhuc condecorari. Cassanæus in Catalog. Glor. Munl. p. 2. Consid. 40. Springsfeld de Appanag. c. 3. n. 130. Myler ab Ehrenbach Gamolog. Person. illustr. c. 5. §. 28. König hic n. 119. Magnif. P. Schmier c. 3. cit. n. 28.

K 2

2. Effo-



2. Effectus proprius Uxori est, quòd pleraque viri, veluti fori, sessionis, immunitatis &c. privilegia participet prout patet ex l. fin. C. de injur. l. medicos 6. & l. fin. C. de professor. & Medic. Et hinc 1. si Maritus sit Princeps, aut Status Imperij, etiam Uxor ex mediata sit immediata persona Imperij, saltem extra territorium mariti arg. l. ne ad diversa 4. C. de Silentiar. & Decur. l. cum quedam 19. ff. de Jurisdic. 2. Quando vult condere Testamentum, non tenetur adhibere omnes solennitates à Jure Civili præscriptas, sed satis est, si observet ea, quæ requiruntur de Jure gentium arg. l. Princeps 31. ff. de LL. 3. Potest Uxori Illustri testamentum, tanquam Principi oblatum, insinuari arg. l. omnium 19. C. de Testam. Tabor de Testam. Princip. oblat. c. 6. n. 11. 4. Donatio, ab ipsa facta, est 500. solidos excedat, insinuatione non indiget, acsi ipse Princeps maritus donasset l. sancimus 34. §. exceptis. C. de Donat. 5. Quod donat ipsa alicui ex Gynæceo suo, aut alteri, induit naturam Castrensis peculij, ita, ut pater donataria, vel donatarij in re donata usum fructum non possit prætere l. cum multa 7. C. de bonis, quæ liberis &c. 6. Ministri uxoris Principis idem privilegium habent, quod Ministri mariti Principis arg. l. cubicularios 3. C. de Præposit. sacr. cubic. 7. Ipsius bona æquè, ac bona Principis mariti, immunitate à vectigalibus gaudent arg. l. locatio 9. §. fin. ff. de Publican. & vectigal. 8. etiam in Augustam crimen lætæ Majestatis committitur arg. l. quisquis 5. C. ad Leg. Jul. Majest.

3. Effectus proprius ex parte uxoris est, quod acquirat domicilium mariti l. cum quedam 19. ff. de Jurisd. l. fin. §. item rescripserunt 3. ff. ad municipal. l. mulieres 13. C. de dignit. & forum cum eo commune habeat l. mulieres cit. adeo, ut dotem non, ubi Pacta dotalia confecta sunt, sed ubi maritus domicilium habuit, repetere debeat l. exigere 65. & ibi Gloss. ff. de Judic. Et retinet hoc mariti sui forum, domicilium, dignitatem, & prærogativas mulier, etiam marito mortuo, quamdiu manet vidua per l. mulieres cit. & l. fin. C. de incol. quia dum amoribus conjugalibus iteratò se non implicat, mariti prædefuncti prærogativis digna reputatur. At quamprimum alteri nubit, has amittit, ac posterioris mariti fortunam sequitur l. mulieres cit. & Novell. 22. c. 36. nisi speciali indulto Principis impetraverit retentionem veterum Jurium l. fin. pr. ff. de Senator. Stryk. ad eund. tit. §. 8.

4. Idem potest Effectus quartus, scilicet Jus alimentorum, quæ ipsi, & familiæ subministrare maritus debet; nam ideo etiam Dotis fructus accipit l. dotis 7 ff. de Jur. dot. & l. pro oneribus 20. C. eod.

Excipitur 1. Si uxor sine culpa viri,

& absque causa necessaria à marito discedat: tunc enim, quamvis dotem ab ea maritus acceperit, ad eam alendam non obligatur; quia uxor debet esse in obsequio viri can. hec imago 13. caus. 33. q. 5. ac proinde, si non velit præstare obsequium debitum, non recipiet alimenta aliàs sibi debita; qui enim non facit, quod debet, non recipit, quod oportet arg. l. si eà 3. C. de condit. infert. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 7. §. 5. n. 2. Sanch. l. 9. de Matr. D. 4. n. 20. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 2. n. 2. Pal. tr. 28. D. 3. p. 5 §. 2. n. 3. Dixi si sine culpa viri, & absque causa necessaria; nam si ob viri favitiam, aut aliam culpam discesserit; vel si coacta sit recedere ob viri furorem, aut morbum contagiosum; vel etiam ob proprium delictum in exilium acta sit, ali a viro debet, ut l. cit. notant Sanch. n. 21. & seqq. Laym. Pal. &c.

Excipitur 2. Si dos promissa, vel pars promissa dotis soluta non fuerit, sive de 352 inde promissa fuerit ab uxore, ejusque parentibus, sive ab alio quocunque extraneo; quia maritus, de dote conveniens pro alimentis uxori præstandis, tacitè intendit nullam obligationem alimentorum subire, dote non soluta, Sanch. l. 9. de Matr. D. 5. n. 2. Pal. tr. 28. D. 3. p. 5. §. 2. n. 5. Est tamen, ut DD. cit. notant, differentia facienda inter casum, quo dos promissa est ab uxore, vel ejus patre, & inter casum, quo promissa est ab extraneo; nam si ab extraneo promissa est, eà non soluta nullam maritus obligationem habet alendi uxorem, tamen si promittens dotem ob impotentiam eam non solvat. At si ab uxore, ejusque patre promissa sit, & hi ex impotentia non solverint, modò tempore promissionis eam impotentiam non agnovissent, tenetur maritus uxori alimenta præstare, acsi dotem recepisset; quia censenda est eo casu Dos perire fortuitò, siquidem absque culpa uxoris, vel parentis non solvitur, quique conveniri nequeunt pro dote solvenda, ultra, quam facere possunt.

Excipitur 3. Si maritus sit inops, & uxor dives; nam eo casu uxor viro alimenta præstare debet l. si cum dotem 22. §. si maritus 7. fin. ff. solut. Matr. Sanch. D. 5. cit. n. 9. Pal. p. 2. cit. n. 4. Schamb. bic n. 173. Rationem dat Sanch. l. cit. quòd dum mulier dives absque dotis promissione ducitur, videtur tacitè actum de Dote constituenda; igitur dum dotem tacitè promissam non solvit, à marito petere alimenta non potest, sed potius ab ipsa maritus, utpote cum eum in finem constituatur Dos, ut alere uxorem, & familiam, aliàque matrimonij onera supportare possit. Quando autem non ipsa mulier, sed ejus pater dives esset, dotemque constituere nolle, teneretur maritus, qui nihil de dote pactus est, ipsam alere, liberumque illi esset à patre dotem petere. Molin. tr. 2. de J. & J. D. 425. n. 4.



## SECTIO III.

## De Matrimoniorum Impedimentis in genere, &amp; quibusdam in specie.

UT sanctior, firmior, & Reip. utilior foret conjunctio maris, & fæminæ ad generationem proles, Jura merito voluerunt, eam non temere, sed maximo delectu, & circumspectione iniri. Quare ut temeritatem, & inconsiderantiam hominum cæ-

cam refrænaret Ecclesia, non pauca conjugiorum obstacula, seu, ut vocant, Impedimenta ipsa posuit, alia per Legem naturalem, vel Divinam jam antè posita promulgavit. Sit ergo

## §. I.

## De Matrimonij Impedimentis in genere.

## SUMMARIUM.

354. Quid sit Impedimentum Matrimonij?  
 355. 356. Quotuplicis generis?  
 357. An in Ecclesia sit potestas inducendi Impedimenta Matrimoniorum?  
 358. Respondetur affirmative ex certa Catholicorum doctrina.  
 359. Solvantur opposita.  
 360. Quibus competat potestas inducendi Impedimenta Matrimoniorum? An Episcopis?  
 361. Resolvitur negativa.  
 362. Saltem quoad Impedimenta Dirimentia.  
 363. Respondetur ad Argumenta contraria.  
 364. An Princeps Secularis subditis suis fidelibus statuere Matrimonij Impedimenta possit?  
 365. Respondetur non posse.  
 366. Solvantur Objectiones.  
 367. An impedimenta hujusmodi introducere possint Principes bisideles respectu subditorum suorum infidelium?  
 368. 369. Vel fidelium?  
 370. An per consuetudinem illa induci possint? Prima sententia.

371. Secunda.  
 372. Tertia.  
 373. Solvantur Argumenta prima.  
 374. Respondetur ad Argumenta secunda.  
 375. 376. 377. Quibus Legibus, & Impedimentis Nuptialibus teneantur?  
 378. An valida sint conjugia Hæreticorum, que ipsi cum Impedimento Juris Ecclesiastici incurrunt? Prima sententia negans.  
 379. Secunda affirmans.  
 380. Respondetur ad Argumenta prioris sententiæ.  
 381. Utrum Pontifex Impedimentum dirimens statuere possit etiam inter duas privatas personas?  
 382. An possit aliquem reddere perpetuò inhabilem ad Matrimonium?  
 383. An causa justa desideretur ad Impedimentum aliquod inducendum?

354. **Q**Uæritur I. Quid sint, & quotuplicis generis sint Impedimenta Matrimoniorum? *¶* Impedimentum quasi *Pedum tenimentum* ex sua origine obstaculum dicitur, quo quis impeditur, ne progredi, vel transire possit, quò vult. Et ob hanc causam in exercitu sarcinæ, curus, vehicula, & alia involucra dicuntur *Impedimenta*, quòd militum concitato cursu, & velocitati obstant. Clericat. *de Sacr. matr. decis. 18. n. 3.* Magnif. P. Schmier p. 3. *de Impedim. matr. c. 1. n. 1.* Juxta hanc motionem Impedimentum Matrimonij in genere describi potest, quòd sit *obstaculum morale, seu inhabilitas, faciens, ut Matrimonium pro desiderio, & voluntate contrahi nequeat.* Sicut enim in alijs Contractibus, ita & multo magis, cum sanctior, & firmior esse debeat, in Matrimoniali Contractu aliqua inveniuntur obstacula, quæ aliquando ab illo contrahendo omnino removent, aliquando saltem retardant.

Sunt autem duplicis generis Impedimenta Matrimoniorum: nam alia sunt *Impedientia tantum*; quia solum obstant nuptiarum justitiæ, & honestati, cum efficiant, ut illicitè contrahantur. Alia verò sunt, & appellantur *Dirimentia*; quia obstant etiam illarum valori, & faciunt, ut cum eorum uno contractæ non solum illicitæ, sed etiam invalidæ sint. Istorum, seu *Dirimentium* septendecim omnino enumerantur, & memoriæ gratiâ in quatuor sequentes Versus coguntur.

Error, Religio, triplex Cognatio, Crimen,  
 Culsus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen,  
 Honestas.  
 Raptus, Clandestina fides, Imposcendum,  
 Ætas, Affines solvunt Sponsalia cuncta.

Quibus Versibus ut Impedimenta Dirimentia omnia comprehendantur, sub Impedimento Erroris intelligi debet non tantum



tum ille Error, qui versatur circa Personam contrahentis substantiam, ut loquuntur Philosophi, sive individuum, sed etiam ille, qui contingit circa alterius contrahentium conditionem servilem.

356 Priorum, seu *Impedientium* aliqui duodecim omnino referunt; alij verò, nec male, illa complectuntur Quinario, in hunc Versum redacto:

*Interdico, Dies, Votum, Sponsalia, Crimen.*

Addunt nonnulli sextum, videlicet Catechismum, an rectè, dicitur *Tit. 16.* Non est animus hoc Titulo de omnibus singillatim agere, sed solum de Impedimento Erroris, & Vis, seu Metus: de Publica Honestate actum est à n. 96. reliqua suis quodque Titulis servabuntur.

357 *Queritur 2.* An in Ecclesia sit potestas inducendi Impedimenta Matrimonij Impedientia, & Dirimentia? Dubitabant non pauci ante Tridentinum: imò ex ipsis laudati Concilij Patribus quadraginta omnino Episcopi, alique non pauci DD. fuerunt, qui initio putabant, in Ecclesia non esse Potestatem constituendi hujusmodi Impedimenta, Et videtur hoc etiam probare Ratio: quia Matrimonium fidelium defacto est unum ex septem novæ Legis Sacramentis; Ecclesia autem, sicut novum aliquod Sacramentum instituire nequit, ita nec potest à Christo instituta circa materiam, & formam immutare. Ergo neque in Matrimonio istud poterit mutaretur autem in hoc Materia, & Forma, si induceretur ab Ecclesia Impedimentum aliquod dirimens Matrimonium, quod initio, cum elevabatur à Christo ad dignitatem Sacramenti, illud non dirimebat; quia tunc mutaretur Contractus, qui est Materia, & Forma hujus Sacramenti, ergo &c. *Confirm.* non potest Ecclesia facere, ut panis, & vinum, quæ defacto sunt materia Sacramenti Eucharistie apta, imposterum non sint materia apta ejusdem Sacramenti; aut ut verba, *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis Sc.* quæ defacto sunt forma illius, ejusdem non amplius sint forma: & sic de cæteris Sacramentis. Ergo nec in potestate Ecclesiæ est facere, ut persona v. g. servilis, aut in conjugis mortem machinata, quæ ad contrahendum Matrimonium antea erat habilis, deinceps non amplius habilis sit, aut ut consensus, seu contractus clandestinus, qui ante legitimus, & sufficiens erat, jam non sit legitimus, & sufficiens.

358 Verùm his non obstantibus, est inconvulsa Catholica veritas, & firma fide teneri debet, quòd in Ecclesiæ potestate sit inducere Impedimenta, non tantum Impedientia, sed etiam dirimentia Matrimonium. Patet ex *Trid. sess. 24. can. 4. de Sacram. Matr.* ubi, *S. Concilij istius Patres, Si quis, inquit, dixerit Ecclesiam non potuisse con-*

*stituere impedimenta Matrimoniorum dirimentia, vel in ijs constituendis errasse, anathema sit. Conf. 1.* ex antiquissima praxi, & usu Ecclesiæ, quæ constat ab eadem irritatum Matrimonium gravi, & injustè incusso metu extortum *arg. c. cum locum 14. & c. veniens 15. Sc. h. tit.* contractum inter eos, qui in alterius conjugis mortem sunt machinati *can. si quis vivente 5. caus. 31. q. 1. c. super eo 3. de eo, qui duxit Sc.* contractum inter Servum, & liberum ignorantem conditionem servilem illius *c. proposuit 2. & c. fin. de conjug. serv.* contractum sine Parocho, & testibus clandestinè. *Sess. 24. cit. c. 1. §. qui aliter de reform. matrim. Conf. 2.* Christus, dum Matrimonij contractum elevavit ad rationem, & dignitatem Sacramenti, non mutavit Contractum, sed statuit, ut is, qui inter homines legitimus est, seu secundum Leges humanas validè initus, inter fideles deinceps foret Sacramentum. Igitur sicut Ecclesia, quando id ad Reip. Christianæ bonum, & rectam fidelium gubernationem expedire videbitur, in cæteris Contractibus certam formam, & solennitates constituere, & ad eos celebrandos personas contrahentium habilitare, vel inhabilitare potest, ita etiam potest in Contractu Matrimonij.

*Ex quo patet ad Rationem dubitandi;* nam Ecclesia, dum certam formam, & solennitates constituit Matrimonio, & alias quidem personas habiles ad id contrahendum, alias verò inhabiles facit, non mutat materiam, & formam Sacramenti à Christo constitutam, sed tantum facit, ut Contractus, qui antea fuit legitimus, deinceps talis non amplius sit; instituit autem Christus Matrimonij Sacramentum sub ratione generica Contractus legitimi: quinam verò talis sit, reliquit arbitrio Ecclesiæ. *Ad Conf.* negatur paritas; nam in Eucharistia, & alijs Sacramentis Christus materiam, & formam Sacramenti constituit determinatam in ratione sua specifica, in matrimonio verò tantum sub ratione generica Contractus legitimi. Imò Argumentum hoc potius confirmat responsionem datam; nemo enim diceret, quòd materiam Eucharistie mutet is, qui corrumpit panem, & vinum. Igitur nec Ecclesia dici debet propriè mutare materiam, & formam Sacramenti Matrimonij, dum Impedimenta aliqua inducendo facit, ut Contractus, qui antea legitimus fuit, jam non sit legitimus.

*Queritur 3.* Quibus in Ecclesia, competat potestas introducendi Impedimenta impedientia, vel dirimentia? *Certum est* apud omnes Catholicos post Tridentinum, quòd hæc potestas competat Summo Pontifici; nam ita monstrant Constitutiones Apostolicæ, Conciliorum, Oecumenicorum Decreta, & perantiqua, ac universalis Ecclesiæ consuetudo,



*Dubium est de Episcopis, aliisque Prælati Jurisdictionem quasi Episcopalem in certi territorij Clerum, ac populum obtinentibus? Ratio dubitandi est; quia quod Papa potest in toto Orbe Christiano, hoc isti possunt in sua quisque Diocesi, præter ea, quæ Summo Pontifici specialiter sunt reservata, ut Regula instar statuunt Abulens. in Matth. c. 16. q. 87. Sot. l. 10. de Just. q. 1. art. 3. Gambarà de Offic. Legat. l. 10. à n. 466. atqui nusquam reperitur expressum, quod Papa potestatem istam Episcopis, & Prælati inferioribus ademerit, & sibi reservaverit, ergo &c. Conf. Quia Impedimenta quadam, etiam irritantia, olim ab Episcopis, & Concilijs Provincialibus, vel Nationalibus introducta sunt, ut testis est Pontius l. 2. de Matr. c. 2. n. 12.*

<sup>361</sup> Sed dicendum, potestatem istam inducendi saltem Impedimenta dirimentia competere soli Summo Pontifici, non verò Episcopis, vel alijs Prælati inferioribus. Ita Covar. p. 2. c. 6. §. 10. n. 16. Sanch. l. 7. de Matr. D. 1. n. 10. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 1. n. 2. Perez de Matr. D. 21. sect. 5. n. 7. Pagn. in c. perniciosam 1. de offic. Ord. n. 63. Pal. tr. 28. D. 4. p. 1. n. 2. Card. de Lug. l. 1. respons. mor. dub. 45. à n. 1. Gobat. Theol. Exper. tr. 9. n. 19. Clericat. de Sacram. Matr. decis. 18. n. 22. Pirh. hic n. 149. König n. 125. Wiest. n. 182. Magnif. P. Schmier p. 3. de Imped. Matr. c. 1. n. 9. & duob. seqq. Ratio est; quia si Episcopi, aliique inferiores Prælati haberent potestatem inducendi Impedimenta dirimentia Matrimonium, potestas hæc ipsis competeret vel ex sua Ordinatione, vel ex concessione Pontificis, vel ex dispositione Juris. Non ex Ordinatione sua; quia vi illius præcisè nullam actualem Jurisdictionem in aliquo territorio, vel subditos habent, ut patet in Episcopis merè Titularibus: non ex concessione Pontificis; quia nusquam legitur, quod unquam hæc potestas à Papa sit concessa Episcopis: non denique ex dispositione Juris; quia nullus extat in Jure textus, ex quo tam insignis potestas in Episcopos fuerit transfusa: imò ob rei gravitatem non expediebat eam in hos transfundi, cum alias constet, quod causas graviore sibi reservet Pontifex.

<sup>362</sup> Dixi, Impedimenta saltem dirimentia; nam quoad Impedientia non dubitat Clericat. l. cit. n. 13. quin potestas illa statuendi Episcopis competat: cujus ratio assignari potest. 1. Quia prohibitio Matrimonij citra irritationem non videtur esse una ex causis majoribus. 2. Quia Superior quilibet frequenter ex alia causa potest illicitum reddere, quod alias erat licitum. 3. Quia Ecclesie vetitum numeratur inter impedimenta impediencia, cum tamen etiam Episcopis liceat Matrimonium ex causa aliquibus interdiceret, ut infra Tit. 16. dicetur.

*Ad Rationem dubitandi, Regulam illam, nisi variè limitetur, omnino falsam esse præter alios pronuntiat Suar. l. 6. de Legib. c. 14. n. 6. & multis probat Fagnan. l. cit. n. 29. cum enim Episcopi à Romano Pont. non in potestatis plenitudinem, sed in partem sollicitudinis vocentur, potius vera est Regula contraria, videlicet Episcopos quoad actus Jurisdictionis plus non posse, quam quod ipsis conceditur à Pontifice. Ad Conf. Idem Pontius l. cit. faretur aliqua ex impedimentis Episcoporum, & Conciliorum Provincialium, vel Nationalium autoritate introductis, à Sede Apostolica fuisse rejecta, & explosa, alia verò, ejusdem Summæ Sedis autoritate, vel ratificatione accedente, constituta, & approbata: quo modo Impedimenta Matrimonij Dirimentia induci posse, in dubium nemo vocat.*

*Quæritur 4. An Princeps, seu Magistratus Sæcularis, saltem is, qui habet potestatem absolutam ferendi Leges, suis subditis fidelibus statuere Matrimonij impedimenta possit? Videtur posse. 1. quia Matrimonium est contractus Civilis. igitur non minus, quam alij Contractus potestati Politicæ, & Sæculari subjectus est. 2. Ad potestatem Regiam, & Principis cujuscumque supremi pertinet providere ea, quæ ad tranquillitatem, & bonum Reip. tuendum pertinent. atqui ad hoc tuendum aliquando pertinet introduci Impedimenta, vi quorum aliquæ personæ, quæ prius poterant contrahere Matrimonium, deinceps non amplius possint, igitur eo casu, quo bonum, & tranquillitas Reip. hoc ita exigit, à Principe, vel Magistratu Sæculari introduci Impedimenta hujusmodi poterunt. 3. Si esset aliqua ratio, ob quam Princeps Sæcularis circa Matrimoniorum Impedimenta nihil posset statuere quoad fideles subditos, esset, quia inter hos contractum est Sacramentum. atqui hoc obesse non debet; quia simul est Contractus Civilis, quo per Politicam, & Sæcularem potestatem immutato, definit esse materia Sacramenti, ut dictum est n. 357. 4. Si ratio Sacramenti obstarer, neque Pontifex hujusmodi Impedimenta posset introducere; nam Sacramenta sunt Juris Divini, circa quod potestas inferior nihil potest. Potest autem Pontifex hujusmodi Impedimenta inducere; quia hæc ejus potestas confurgit solum ex ratione contractus humani, quem dum facit non amplius esse legitimum, facit, ut non amplius sit materia Sacramenti, ergo &c.*

*Sed his non obstantibus, dicendum omnino est, post elevationem Matrimonij ad dignitatem Sacramenti à Christo factam, impedimenta Nuptiarum, quæ valori, & honestati illarum obstant, pro fidelibus per Principes, & Magistratum quemcumque Sæcularem induci non posse. Ita Ant. de Butrio in c. 1. b. tit. n. 12. Abb. ibid. n. 9. Alex.*



Alex. de Nevo n. 21 Prapost. n. 7. Felin. n. 10. Sylv. V. Matrimonium 8. q. 8. dist. 1. Tabien. V. Impedimentum imped. 6. n. 1. Turrecr. in cau. 1. caus. 30. q. 3. art. 6. ad 1. Gaeta in cau. ad limina 7. caus. cit. q. 1. §. 4. n. 299. & seqq. Sot. in 4. dist. 42. q. 2. art. 2. ad 2. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 10. n. 30. Cavall. opin. comm. contr. comm. q. 58. n. 10. Bellarm. l. 1. de Matr. c. 32. Pont. l. 6. de Matr. c. 2. n. 3. Pal. tr. 28. D. 4. p. 1. n. 3. Fagnan. in c. utrum 1. n. 22. de cognat. spirit. Pirh. hic n. 150. König n. 93. & 125. Wiest. n. 180. Magnif. P. Schmier p. 3. de Imped. Matr. c. 1. n. 7. & 8. Consentit S. Thom. in 4. dist. 42. q. 2. art. 2. ad 4. ubi differre ait: *Prohibitio Legis humane non sufficit. ad Impedimentum Matrimonij, nisi interveniat auctoritas Ecclesie, que idem etiam interdicit. Rationem dat; quia Sacramenta Ecclesie, quale etiam est Matrimonium, humanis Legibus non subdantur. Quod confirmatur 1. quia Matrimonium fidelium per hoc ipsum, quodd elevatum sit ad dignitatem Sacramenti, caput esse Contractus facer, & Spirituales, ac proinde subiectus soli potestati Ecclesiasticæ, & extractus ex potestate Sæculari. Conf. 2. Plus est Matrimonij inter fideles contrahendis ponere Leges, & constituere impedimenta, quam cognoscere de causis Matrimonialibus inter fideles exortis. atqui Curia Sæcularis de his causis, quia Spirituales sunt, nequit cognoscere, ut patet ex c. tuam 3. de ordin. cognit. c. causam 7. qui fil. legit. & Trid. sess. 24. can. 12. de Sac. Matr. ergo multo minus ijs contrahendis Leges ponere, & Impedimenta potest statuere, cum recepta, & Magistralis sit Regula: Cujus quis in aliqua materia non sortitur forum, ejus etiam Legibus non ligatur arg. c. fin. de Const. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdic.*

Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad 1.* Id procedit de Matrimonio ante elevationem ad dignitatem Sacramenti: ex quo non sequitur, quodd etiam post illam subiectum potestati Sæculari maneat, sed potius contrarium; nam sicut persona Clerici, aut Religiosi, licet ante Ordinationem, & Professionem Religiosam subiecta fuerit Principi, & Magistrarui Sæculari, post illam tamen à Jurisdictione illius eximitur, ita etiam Matrimonium, quamvis ante elevationem ad Sacramentum fuerit Contractus Civilis, & propterea sub dispositione potestatis Sæcularis, post illam tamen ista circa illud Legali, aut alia ordinatione decernere nil amplius poterit. *Ad 2.* Satis provifum est bono publico, quodd potestas Impedimenta hæc inducendi sit data Ecclesie. *Ad 3.* Patet ex responsione *ad 1.* quia scilicet Contractus Matrimonialis, qui antea Civilis duntaxat fuit, per elevationem Spiritualis effectus est. *Ad 4.* Pontifici Christus con-

cessit potestatem decernendi qualitatem Contractus, ut hic ad conficiendum valide Matrimonium habeatur legitimus, quam non legitur concessisse Principi Sæculari.

Quaritur §. An Impedimenta Matrimonium dirimentia introducere valeant Principes, & similes Magistratus infideles. *Certum est*, illa statui ab his posse pro subditis suis infidelibus. Ita S. Thom. in 4. dist. 39. q. un. art. 2. ad 3. Navar. Man. c. 22. n. 48. Henriq. l. 12. c. 1. n. 4. Sanch. Libr. 7. de Matr. D. 3. n. 5. Conink D. 30. dub. 1. n. 7. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 1. n. 2. Pal. tr. 28. D. 4. p. 1. n. 4. Wiest. hic n. 177. & hoc teste aliorum communis sententia, Ratio est expedita; quia Matrimonia Infidelium non sunt Sacramentum, sed Contractus merè Civilis. igitur sicut infideles potestati Legislativæ suorum Principum, ac Magistratum subiecti sunt quoad alios Contractus, ita etiam quoad Matrimonium; poterunt proinde isti, si ita bonum Reip. commune videatur exigere, certam formam, & solemnitates Matrimonij illorum præscribere, eosque ad ea contrahenda habilitare, vel inhabilitare. Idem ex eadem ratione dici debet de Principibus fidelibus, si subditos aliquos infideles habeant, ut cum communi notat Sanch. l. c. n. 8.

*Controversia est*, an Princeps infidelis ejusmodi Impedimenta statuere possit etiam pro subditis suis fidelibus? Affirmant Sanch. D. 3. cit. n. 7. Conink n. 7. cit. Perez de Matr. D. 21. sect. 5. n. 3. & probare hoc etiam videtur ratio: quia Leges, quibus hujusmodi Impedimenta inducuntur, si iustam habeant causam, sunt iustæ, & procedunt ab habente potestatem ejusmodi Impedimenta inducendi; igitur tenebunt quoscunque Principis talis subditos. *Conf.* Princeps Infidelis hujusmodi impedimenta statuere potest saltem quoad subditos suos infideles. igitur nisi potestas ista aliqua Legge restricta sit, se extendet etiam ad subditos suos fideles: non patet autem restrictam esse Legge Divina, & Ecclesiasticâ, quâ sibi Ecclesia facultatem de nuptiali contractu disponendi reservavit, non ligantur; quia Ecclesiam per Baptismum ingressi non sunt ergo &c.

Sed melius negatur, quodd Princeps infidelis potestatem hujusmodi respectu fidelium, Jurisdictioni ipsius temporali subjectorum, habeat, prout hoc etiam negant, Sot. in 4. dist. 42. q. 2. art. 2. Hurtad. de Matr. D. 12. n. 2. Pont. l. 6. c. 2. à n. 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 1. n. 3. Pal. tr. 28. D. 4. p. 1. n. 3. Pirh. hic n. 151. Wiest. n. 175. Magnif. P. Schmier p. 3. de Imped. Matr. c. 1. n. 20. & 21. Ratio est; quia fideles, sicut in cæteris ad Spiritualem animæ salutem ordinatis, sic etiam in contrahendis Matrimonij adstringuntur Legibus Ecclesiasticis, ut conjugia illorum, si ab ipsis quo-



quoque in loco degant, contra SS. Canones inita sint, valore careant, & contra valeant, si secundum eos coaluere. Unde consequens est, quod non afficiantur Impedimentis Nuptialibus, promulgatis à Principe Infideli; quia aliàs iste irritare posset conjugia fidelium inita secundum SS. Canones, & contra valida declarare, quæ contra SS. Canones cum clausula irritante promulgatos, inivère: & sic circa conjugia fidelium, subsectorum temporali Jurisdictioni Principum infidelium, major esset iutorum potestas, quàm Ecclesiæ.

*Argumentum* in contrarium allatum, & ejus *Confirmatio* solvuntur ex dictis; quia nuptialis fidelium Contractus ipsa illius ad Sacramentalem statum elevatione potestati Principis infidelis, Impedimenta proponentis, substractus, & Ecclesiæ subiectus est.

370 *Quæritur* 6. An etiam per consuetudinem possint introduci Impedimenta Matrimonium? Triplex maxime Sententia est. *Prima* absolute vim istam negat consuetudini. Ita Gloss. *fin. in c. 1. de cognat. Spirit.* Innoc. *in c. super eo 3. eod. n. 1.* Joan. Andr. *in c. quod super 5. de Consang. in fin. Ancharan. ibid. fin. Tabiena V. Impedimentum 1. in commun. q. 4. n. 5. Gaëta repet. eam, ad Limina 30 q. 1. §. 4. n. 269.* & alij apud Sanch. *l. 7. de Matr. D. 4. n. 10.* *Fundantur*: Quia si consuetudo haberet vim introducendi nova ejusmodi Impedimenta, etiam haberet vim abrogandi ab Ecclesia jam constituta, atqui per consuetudinem Impedimentum aliquod ab Ecclesia constitutum abrogari non potest, prout sumitur ex *c. quod super cit.* ubi consuetudo, permittens conjugium intra Gradus Jure prohibitos, tanquam corruptela, diserte reprobatur. *Conf.* Quia potestas constituendi Impedimenta Matrimonij est Sedi Apostolicæ reservata.

371 *Secunda Sententia* ad consuetudinem, ut Impedimentum conjugiorum valori obstat, induci ab ea possit, requirit, ut hujusmodi consuetudo expresse sit approbata à Summo Pontifice. Ita Hoff. *in c. quod super cit. in fin. juncto c. super eo n. 5. Rosell. V. Impedimentum Imped. 1. n. 7. Sylv. V. Matrimonium 2. q. 3. in fin. Pont. l. 6. de Matr. c. 6. n. 6. Fagnan. in c. Utrum autem 1. de cognat. Spirit. n. 18. Pith. tit. eod. n. 10. §. 11.* *Fundamentum* hujus sententiæ est 1. quia consuetudo, quæ reddit fideles inhabiles ad contrahendum sine approbatione Pontificis, nec est rationalis, nec legitime præscripta. Non rationalis; quia *c. de Francia 1. b. tit.* à Jure specialiter reprobatur: non legitime præscripta; quia inter ea, quæ requiruntur ad hoc, ut consuetudo legitime præscripta dicatur, præcipuum est, ut inducta fuerit sciente, & patiente, imò approbante Principe, qui Jus condere in illis potest. 2. Quia eadem potestas requi-

ritur in abrogatione Legis, quæ in constitutione ejusdem arg. *c. cum jam dudum 18. de Preb. §. Dignus.* atqui Lege per Summum Pontificem approbata, imò Divina, & Naturali quilibet Matrimonij ineundi capax est, quem SS. Canones habilem esse agnoscunt, ergo ut abrogetur hæc Lex, & persona aliqua ex habili fiat inhabilis, pariter autoritas, & approbatio Summi Pontificis requiretur. 3. *c. super eo cit. & c. quod dilectio 9. de Consang. & Affinit.* allegatæ consuetudines ab Alexandro, & Cælestino, utroq; ejus nominis III. expresse sunt approbatæ, eaque approbatione transierunt in naturam Constitutionis.

Tertia denique, & communior Sententia est, quæ consuetudini, etiam non specialiter approbatæ à Papa, modò rationalis, & legitime præscripta sit, tribuit vim introducendi nova ejusmodi Impedimenta conjugiorum. Ita Navarr. *Man. c. 22. n. 83. Suar. de LL. l. 7. c. 19. n. 26. Sanch. l. 7. de Matr. D. 4. n. 11. Tann. D. 2. de Matr. q. 4. dub. 1. n. ult. Pal. tr. 3. D. 3. p. 4. §. 2. n. 11. & tr. 28. D. 4. p. 1. n. 5. Perez D. 21. sect. 6. n. 5. Gonzal. in c. 1. b. tit. n. 22. Gobat. Theol. Experim. tr. 9. n. 25. Clericat. de sac. Matr. decis. 18. n. 21. Wiest. hic n. 186. Magnif. P. Schmier p. 3. de Imped. Matr. c. 1. n. 12. & seqq.* Colligitur ex *c. super eo cit.* ubi, an personæ aliquæ conjungi valeant, aut secus, jubetur inquiri consuetudo Metropolitanæ, & aliarum vicinarum Ecclesiarum, quæ viget, neque requiritur, ut ista à Sede Apostolica sit approbata. *Ratio est*; quia generalis est Regula, sumpta ex *c. fin. de consuet.* quod consuetudine novum Jus induci, & antiquum abrogari possit, si illa sit legitime præscripta, & rationi consona. potest autem consuetudo, quæ introducuntur Impedimenta Matrimoniorum, esse rationalis, & habere requisita consuetudinis legitime præscriptæ, ergo &c. *Conf. a pari* nam passim receptum est apud DD. quod consuetudine induci possit novum Festum, jejunium, aut inhabilitas ad Beneficium: cur non etiam per eam induci possint nov. Impedimenta, conjugiorum valori obstantia, præsertim cum multi dicant, Impedimentum Disparitatis Culius defacto sic introductum esse.

Ad Argumentum primæ Sententiæ, 373 n. 170. allatum dico, Sequelam non difficulter concedi à Sanch. *D. 4. cit. n. 14.* & alijs plurimis per hunc *cit.* & merito, n. m. ejusmodi Impedimenta tolli possunt, imò aliqua sublata, aut restricta defacto sunt per Legem Ecclesiasticam, ut videre est in Impedimento Consanguinitatis & Affinitatis, quod antiquo Jure extendebatur ad septimum, nunc ad quartum gradum juxta *c. non debet 8. de consang.* item in Impedimento publicæ honestatis, quod an-



te Trid. ad quartum gradum se porrigebat, & oriebatur etiam ex Sponsalibus de futuro invalidis, nunc ex validis tantum oritur, & primo gradu concluditur juxta Decretum laudati Concilij *sess. 24. c. 3. de reform. Matr.* atqui eadem causa, & circumstantia, quæ rationabilem possunt facere Legem Ecclesiasticam, etiam rationabilem possunt facere consuetudinem, ut rectè Sylv. *V. consuetudo q. 1. n. 2.* Roch. de Curte *tr. de consuet. sect. 2. n. 15.* & alij notant. *Neque obstat textus c. quod super in contrarium allegati; nam ut Pal. §. 2. cit. n. 5.* Gonzal. *ibid. n. 2.* & alij explicant, textus ille intelligendus est de consuetudine, quæ vel irrationabilis est, vel non est legitime præscripta: non verò de ea, quæ rationalis, & legitime præscripta est; nam hæc vim Legis habet, & pro Lege suscipitur. *Ad Conf. Reservatio illa solum excludit potestatem Legislativam Sæcularem, & Ecclesiasticam, Papali inferiorem, non verò consuetudinem rationabilem, & legitime præscriptam; nam huic vis illa satis tribuitur per c. fin. cit.* Imò cum vim suam omnem habeat à consensu Legali Pontificis, reservationem istam confirmat, cum adhuc verum sit, quòd Impedimenta Matrimoniorum dirimentia constituantur à solo Pontifice.

874 Argumenta secundæ sententiæ n. 371. relata similiter Sententiæ nostræ non obfunt. *Ad 1.* Ut consuetudo talis sit rationalis, sufficit, si similes circumstantiæ concurrant, quæ sufficerent ad novum Impedimentum statuendum per Legem: & tunc si accedat diuturnitas temporis, & frequentia requisita actuum, aderit etiam consensus, & approbatio Summi Pontificis, non quidem specialis (nam hic nullo Jure requiritur) sed generalis, quæ consuetudini generaliter vim Legis constituendæ, & abrogandæ dedit. *Ad 2.* Id nimium probat; probaret enim, quòd sicut Lex quælibet expressa Legislatoris voluntate statuitur, ita eadem voluntas intervenire debeat, ut per consuetudinem abrogetur. *Ad 3.* in c. *citt.* & consuetudinibus ibidem allegatis non intervenit specialis consensus; quia Matrimonia, secundum ipsas ante approbationem laudatorum Pontificum contracta, ab his pro validis reputantur.

875 Quæritur 7. Quinam Legibus, & Impedimentis Nuptialibus ligentur? *3.* distinguendo inter Impedimenta; nam Impedimentis, quæ Jure Divino, & Naturali inducta sunt, afficiuntur omnes planè homines. Res est explorata; nam ab observatione Legis Divinæ, & Naturalis nemo omnino, qui sit rationis compos, excipitur. *Et hinc sequitur*, etsi apud aliquam Gentem Infidelium consuetudo sit, ut jungatur Matrimonio pater cum filia, mater cum filio &c. dissolvenda esse hujusmodi Matrimonia,

si ita juncti ad Fidem Christianam transeant; quia nulla Lex humana, vel consuetudo prævalere adversus Legem Divinam, vel Naturalem potest.

Impedimentis, quæ introducta sunt solo Jure Ecclesiastico, afficiuntur soli fideles, seu Baptizati, iique omnes, ubicunque degant, non verò etiam infideles. Ita *Sot. in 4. dist. 42. q. 2. art. 2.* Tann. *D. 2. de Matr. q. 4. dub. 1. n. 20.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 1. n. 3.* Pont. *l. 7. de Matr. c. 1. n. 7.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 1. n. 3.* Pal. *tr. 28. D. 4. p. 1. n. 3.* Pirh. *hic n. 149.* Wiest. *n. 175.* Ratio de fidelibus est; quia Pontificis Jurisdictio Spirituales diffusa per Orbem universum est, & subiectos sibi habet fideles omnes, ut circa alia, ita circa Matrimonium. De Infidelibus patet; quia cum Ecclesiam per Baptismi januam nondum ingressi sint, Constitutionibus Canonis non arctantur *arg. c. gaudemus 8. de Divort.* Hinc de illis Apostolus. *Quid mihi, inquit, de ijs, qui foris sunt, judicare. 1. Corinth. 5. v. 12.*

Excipitur, nisi ejusmodi infideles degant in Territorio Ecclesiæ temporali; nam his, tanquam subditis suis, Leges connubiales ferre, si velit, etiam Pontifex potest, ita, ut conjugia, ab iisdem contra hujusmodi Leges inita, viribus, & valore destituantur, ut rectè cum alijs Sanch. *D. 1. cit. n. 3.* Ratio est; quia in territorio Jurisdictioni suæ temporali subiecto potest Pontifex non minus, quam quod potest Rex in suo Regno, & Imperator in Imperio, atqui secundum dicta n. 367. Princeps non tantum infidelis, sed etiam fidelis potest pro subditis suis infidelibus statuere ejusmodi Impedimenta, ergo &c.

Dubium est de Hæreticis, an validè sint eorum conjugia, quæ ineunt cum Impedimento Juris merè Ecclesiastici, & in eorum terris non recepti? Negant Less. in *Audiar. l. 2. de præscript. cas. 1.* Busenbaum *Medull. l. 6. tr. 6. c. 3. dub. 1. in fin.* Gobat. *Theol. Experim. tr. 9. à n. 41. & Append. 15. à n. 88.* König *procem. Jur. Can. n. 9.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Imped. Matr. c. 1. n. 24.* pro qua sententia etiam P. Gobat. *l. cit.* allegat judicium Facultatis Theologicæ Viennensis, quæ ad quæstionem ab Archiducali Regimine Austriae 18. *Majj 1655.* de ijs sibi propositam respondit ea esse invalida. *Fundamenta* hujus sententiæ sunt. 1. quia Hæretici hoc ipso, quòd Ecclesiam per Baptismum ingressi sint, subji-ciuntur Jurisdictioni illius, ejusque adstringuntur Legibus. igitur ipsorum conjugia, contra Legem Ecclesiæ irritantem contracta, non erunt minus invalida, quam invalida sint, si ejusmodi conjugia ineamur ab Orthodoxis. 2. Si aliquid Hæreticos eximeret à Legibus Connubialibus Ecclesiæ, eximeret illos consuetudo Provinciarum ipsarum



fis contraria. Ista non eximit; quia eidem deest consensus Pontificis, ad quamlibet consuetudinem, ut illa adversus Legem Ecclesiæ prævalere possit, requisitus, cum utique præsumi nequeat, quod Pontifex illis, tanquam rebellibus subditis, in hoc favere voluerit, quippe qui poenâ potiùs digni sunt ob Legum istarum transgressionem. 3. Ut consuetudo Legi alicui deroget, debet tam ipsa, quam mores contrarij utentium esse rationabiles. Tales autem non sunt, quibus scienter contravenitur Constitutionibus Ecclesiasticis. 4. Si consuetudo Hæreticos eximeret à Legibus Connubialibus Ecclesiæ, eximeret eosdem etiam à cæteris Legibus ejusdem, quibus stabiliter contraveniunt. 5. Hoc modo valida fieri possent etiam Matrimonia, quæ incurrunt inter Apostatas à Religione, & Ordine, transseutes ad Hæreticos, & eas, quas vel ex Catholicis seduxerunt, vel ex A Catholicis assumpserunt. 6. S. Congregatio Cardd. Trid. Interpp. Episcopo Tricariensi Sedis Apostolicæ ad Belgas Legato 19. Jan. 1605. inter alia disertè rescripsit, Hæreticos quoque, ubi Decretum *Jess. 24. c. 1. de reform. Matr.* est publicatum, teneri talem formam observare; & propterea etiam ipsorum Matrimonia absque forma Concilij, quamvis coram Ministro Hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla, atque irrita esse. atqui nulla est ratio, cur potiùs irrita sint conjugia, ab Hæretico contracta contra Decretum *c. 1. cit.* quam contracta contra alias Sanctiones Ecclesiasticas, munitas clausula irritante, igitur etiam irrita erunt celebrata cum alio Impedimento Juris Ecclesiastici: Itaisti.

379. Contra proposita Hæreticorum conjugia valida esse, defendunt Petr. Marchant. *Tribun. Sacram. tom. 3. tr. 1. tit. 6. concl. 4.* Bonagraria *Suñ. qq. Regul. Discept. de Matr. Hæret. §. 8.* Henric. Mair *de Matr. Sacram. n. 67.* pro se allegans P. Simonem Felicem Moralis Theologiæ Doctorem eximium. Pro eorundem valore, teste Gobat *l. cit. n. 32.* non obscurè stant Tann, *tom. 4. D. 8. q. 3. n. 122.* Laym, *l. 9. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 7.* Dicast. *de Matr. D. 3. dub. 10.* dum valida esse docent conjugia ab Hæreticis, absente loci Parocho Catholico, contracta. *Fundamentum* istorum DD. præcipuum, & ferè unicum est; quia, ut *suprà n. 372.* dictum est, consuetudine Sanctionibus Ecclesiæ Connubialibus quoad vim irritandi Matrimonium derogari potest, si conditiones, ad legitimam consuetudinem requisitas, habeat, atqui in nostro casu nulla conditio, ad legitimam consuetudinem requisita, deest: Nam 1. cum *actu frequenter* concurrat diuturnitas temporis; constat enim, quod integro Sæculo, imò longiori etiam tempore ejusmodi conjugia ab Hæreticis passim incurrunt absque ulla nul-

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

litis existimatione, vel etiam suspicione, quippe quæ ipsi Catholici pro validis, & proles ex ipsis susceptas pro legitimis habent. 2. Non deest consensus Principis, seu Pontificis in hujusmodi consuetudinem; quia hic universaliter vim dedit consuetudini, ut per illam abrogari Leges Ecclesiasticæ possent: quare nisi constet de contraria voluntate Legislatoris Pontificis, vis consuetudinis etiam ad Matrimonia Hæreticorum, cum ejusmodi Impedimento contracta, sese extendet, & cons. habebitur consensus Legislatoris saltem Legalis. 3. Non deficit etiam *rationabilitas*; nam ut vis Canonum, hujusmodi Conjugia irritantium, & inde proveniens Matrimoniorum nullitas post continuatum tanto tempore non usum cesset, omnino expediens fuit, tum quia sperari non potest eorum Canonum observantia, tum verò maximè, quia illorum quoad vim irritandi cessatio plurimùm confert ad conservationem pacis, & tranquillitatis publicæ inter Catholicos, & Heterodoxos, ipsorumque ad Ecclesiæ gremium faciliorem reductionem: quarum illa sæpe adducètur in discrimen, & ista multò difficilior fieret, si ea, de quibus sermo est, conjugia pro incestis, & inutilibus, & proles, ex his procreatæ, pro Spurijs, & illegitimis, cons. etiam pro Officiorum publicorum, ac Beneficiorum incapacibus in Republica Christiana haberentur. Quare cum consuetudo ista omnia habeat, quæ ad legitimè præscriptam consuetudinem requiruntur etiam ipsa vim consuetudinis legitimè præscriptæ, & cons. Canones illos quoad irritationem conjugiorum istiusmodi abrogandi habebit. *Cons.* Ex praxi observata, dum ad Ecclesiæ gremium Palatinatus, & alia per Germaniam nostram Provinciæ reducebantur; non enim constat, quod defudantes in hoc negotio Clerici tum Sæculares, tum Regulares solliciti fuerint, aut multùm laboraverint de Matrimonijs, cum aliquo ejusmodi Impedimento contractis, aut dissolvendis, aut impetrata de illis dispensatione renovandis, quamvis extra dubium sit, non pauca ab hujusmodi reductis cum tali Impedimento fuisse contracta, dum Lutheri, aut Calvini dogmata sectabantur. Ita hi posteriores non minùs probabiliter, sed ita, ut P. Wiestner *hic n. 200.* cum utriusque opinionis fundamenta excussisset, nihil sit ausus decidere, sed Controversiæ istius decisionem Apostolicam expectandam judicet. Ego judico, non erraturum, qui valorem hujusmodi Matrimoniorum ex secundæ Sententiæ momentis sustineat.

Argumenta primæ Sententiæ non 380  
difficiliter solutionem admittunt. *Ad 1.* Dicit potest, Legibus hujusmodi Connubialibus quoad vim irritandi conjugia, cum ejusmodi Impedimento contracta, derogatum esse per consuetudinem; nam, ut *n. L. 2. præc.*



prec. dictum est, consuetudo hæc moribus, & usu ipsorum etiam Catholicorum firmata est, qui Conjugia sic contracta pro justis, & liberos ex ijs susceptos pro legitimis habent in Provincijs, in quibus Hæretici Catholicis permixti degunt. *Ad 2.* Ostensum est *n. prec.* in hoc casu non desiderari consensum saltem tacitum Principis, nempe Pontificis; quia hic per SS. Canones, dum consuetudinem rationabilem, & legitime præscriptam, etiam quæ Juri positivo derogat, generaliter approbant, satis habetur: unde cum non extet Constitutio Apostolica, quæ consuetudini, Sanctionibus Ecclesiæ Connubialibus deroganti, specialiter resistat, dicendum est, eundem Legalem consensum etiam extendi ad istam consuetudinem. Quod additur, Hæreticos potius penâ ob Legum istarum transgressionem dignos esse, verum est; nam eam meretur pertinacia illorum, & inobedientia in Christi Vicarium: hoc tamen posito, etiam verum est, eodem miseratione non indignos esse, cum magnam partem hodie inculpabiliter ignorent se errare, & Ecclesiæ Jurisdictioni, ac Legibus subiectos esse. *Ad 3.* rationabilitas consuetudinis non debet desumi ex actibus, quibus inducitur; nam isti possunt etiam esse peccaminosi: sed aliæ circumstantiæ rationabilem illam facere possunt, maxime conducentia ad finem, & bonum publicum; sic autem, ut *n. prec.* dictum est, conducit consuetudo nullitatem conjugiorum, cum Impedimento Juris Ecclesiastici contractorum, tollens, cum, ut dixi multum conducat ad faciliorem Hæreticorum reductionem, & conservationem pacis, ac tranquillitatis publicæ. *Ad 4.* Impriis DD. qui Sententiam secundam defendunt, libenter concedunt, quod Hæretici scienter contrahendo Matrimonium cum Impedimento Juris Ecclesiastici peccent, sed tantum dicunt, Leges Connubiales hac consuetudine fuisse abrogatas quoad vim irritandi ejusmodi Conjugia contracta ab Hæreticis: & hoc non tam in favorem Hæreticorum, quam Catholicorum, cum per eam stabiliatur tranquillitas publica; & illorum ad Catholica Sacra reductio fiat expeditior. Deinde malè infertur ex consuetudine derogante Legibus Connubialibus, quod Sanctiones Canonice omnes per eam tolli possint; nam etsi primum concedant plurimi, alterum tamen omnes inficiantur: & meritò, cum nec Jus *c. cum non liceat 12. de Præscript.* nec ratio permittat, ullius consuetudinis, aut præscriptionis vi subditos ab Obedientia eximi, ne evacuatis Legibus, omnis disciplina evanescat, & Ecclesiastica, terrenaque Resp. in nihilum redigatur. *Ad 5.* Non est paritas: nam Matrimonia Apostatarum Sacerdotum, & Religiosorum valore destitui, omnium Orthodoxorum DD. constans, & certa doctrina est; neque enim

his suffragatur ulla consuetudo, sed potius hæc contra illorum valorem pugnat, cum ejusmodi Apostatarum conjugia, si ad gremium Ecclesiæ redeant, semper, itaque dissolvantur, ut non solum ipsi statim abstrahantur à consortio Uxorum; sed his quoque, si ad Catholica Sacra redeant, vel transeant, nova conjugia cum alijs viris permittantur, luculento indicio nullitatis Matrimoniorum antè cum Apostatis contractorum. *Ad 6.* Relata Cardinalium Declaratione, etiam si in forma Authentica exhiberetur, plus non evincitur, quam quod Decreto *Trid. c. 1. cit.* afficiantur etiam Hæretici in Provincijs, in quibus illud est publicatum: non verò probatur, quod per illud adempta sit consuetudini legitime præscriptæ vis derogandi ipsi, aut alijs Sanctionibus Canonice.

Quæritur 8. Utrum Pontifex inter duas privatas personas ex causa justa e. g. magnæ disparitatis inter contrahentes, vel timoris gravium discordiarum possit Matrimonium ita prohibere, ut Matrimonium, contra hujusmodi prohibitionem contractum, sit omnino irritum? Tangunt difficultatem hanc Navar. *l. 4. edit. 1. conf. 24. de Sponsal. & edit. 2. de Matrim. contr. interd. Eccl. conf. 1. & Henriq. l. 12. de Matr. c. 12. n. 1. junct. Comment. lit. C.* sed nihil decidunt. Sed difficultatem non video; nam si Pontifex potest ex justa causa reddere irritum Matrimonium inter omnes personas certi generis, ut inter omnes consanguineos usque ad quartum gradum, cur non poterit irritare inter duas privatas personas, ubi tam urgens fuerit causa, ut istud postulet? Quare judico dicendum, id omnino posse Pontificem. Ita Hofst. *Summ. tit. de Matr. contract. contr. interd. Eccl. fin. Felin. in c. ex parte n. 6. y. quartus casus de Constit. Paludan. in 4. disp. 34. q. 1. art. 1. n. 10. Sanch. l. 7. de Matr. D. 1. n. 7.* ubi præter alios allegat Additionatorem ad Navar. *conf. 1. cit.* dicentem, quod Pontifex sua ætate inhabilitavit Virum quendam Illustrissimum ad ineundum Matrimonium cum certa femina; & iterum quendam alium, qui ut eluderet Sponsalia de futuro, super quibus lis pendebat, tentabat contrahere Matrimonium cum alia: & hoc ex causa, quod utroque casu gravia scandala non immeritò timerentur.

Gravior difficultas est, utrum Pontifex ex justa causa possit personam aliquam reddere perpetuò inhabilem ad Matrimonium, quæ Jure naturæ habilis erat? *Ratio dubitandi est;* quia talis persona cogeretur ad perpetuam continentiam, ad quam tamen absque proprio consensu nemo adstringi potest *can. integritas 13. caus. 32. q. 1.* item privaretur Matrimonio, quod tamen in remedium concupiscentiæ natura ipsa indulgit. Sed tenenda est sententia affirmativa cum Alex. de Nevo in *c. suas n.*



17. de Spons. duor. quem citat, & sequitur Sanch. D. 1. cit. n. 9. nam sic, ut ex Calderino refert Alex. de Nevo l. cit. Urbanus V. inhabilem ad Matrimonium ineundum reddidit Barnabonem Vicecomitem, & Dominum Mediolanensem, ac liberos ejus rebelles Ecclesie. Neque obstat Argumentum contrarium; nam etiam libertas cuiusvis à natura concessa est, & tamen ob culpam potest quis eam privari. Accedit; quia potestas Pontificis non est arctata ad sola impedimenta Matrimonij impedienda statuenda, sed ad dirimentia quoque extenditur. igitur sicut in gravissimi delicti poenam, ut factum est ob Incestum, potuit prohibere omnino Matrimonium, ita, ubi gravitas delicti id exigit, efficere potest, ut ab huiusmodi criminis reo initum sit omnino nullum.

387. Quæritur 9. An iusta desideretur causa, ut Pontifex ritè, ac rectè valeat Impedimenta Matrimoniorum indicare? R. Affirmative: & quidem major causa ad sta-

tuendum Impedimentum Matrimoniorum dirimens, quam impediens tantum, cum gravius sit dirimere, quam simpliciter prohibere.

Difficultas est, an si Pontifex absque iusta causa statuat Impedimentum aliquod, teneat factum, & Impedimentum ita constitutum effectum suum obtineat. Affirmant aliqui, quamvis admittant Pontificem tunc reum esse culpæ, ex ratione, quia Pontifex potest multa peccando efficere, quæ tamen teneant facta. Sed Sanch. D. 1. cit. n. 6. cum alijs à se cit. iudicat ad valorem prohibitionis omnino desiderari iustam causam. Rationem dat; quia Matrimonium est vinculum Jure naturali, & Divino inventum, ac omnibus permixtum, excepto saltem primo gradu consanguinitatis inter Ascendentes, & Descendentes. in ijs autem, quæ Juris naturæ sunt, vel Divini, disponere Pontifex sine iusta causa nec licitè, nec validè potest, prout in dispensatione Voti, relaxatione Juramenti. &c.

## S. II.

## De Impedimento Vis, &amp; Metus.

## S U M M A R I U M.

384. Quid sit Vis, & Metus?  
 385. Quam multipliciter dividatur?  
 386. Quale impedimentum sit Metus?  
 387. An ad irritandum Matrimonium sufficiat Metus Levis?  
 388. Vel gravis illatus per causam necessariam?  
 389. Aut per liberam quidem, sed iustè?  
 390. Ratio, quare iustè incussus non dirimat Matrimonium.  
 391. Casus, quibus metus censetur iustè incussus.  
 392. Hinc solus ille metus invalidat Matrimonium, qui gravis, & iniustè incussus est.  
 393. Corollaria inde deducta.  
 394. Ratio irritandi Matrimonium ex ista causa.  
 395. Requisita, ut propterea irritetur.  
 396. 397. Et procedit, etiamsi metus non cogat ad contrahendum cum aliqua determinate.  
 398. An requiratur, ut sit incussus in finem ad contrahendum Matrimonium?  
 399. Respondetur negativè.  
 400. Corollaria.  
 401. Solvuntur Argumenta contraria.  
 402, 403, 404. Quid dicendum, quando unus metum infert, alius promittit liberationem à metu sub conditione nuptiarum?  
 405. Ex quo Jure nullitas Matrimonij ob metum descendat?  
 406. Respondetur descendere ex Jure positivo Ecclesiastico tantum.

407. Diluuntur Argumenta opposita.  
 408. An Matrimonium, metu iniustè incussus, extortum, sit irritum utroque foro?  
 409. Defenditur sententia affirmans.  
 410. Negantis fundamenta evertuntur.  
 411. An Matrimonium metu contractum firmetur adjecto Juramento?  
 412. Respondetur negativè.  
 413. Solvuntur Objectiones.  
 414. An firmetur per copulam subsequutam?  
 415. Respondetur firmari, si libere admissa sit.  
 416. Non verò si metu extorta.  
 417. Corollarium.  
 418. Dissolvuntur Argumenta opposita.  
 419. An convalescat per diuturnam cohabitationem? Respondetur affirmativè.  
 420. Quod locum habere etiam nunc post Trid. potest.  
 421. Requisita ut locum habeat.  
 422. An, qui metu extorsit Matrimonium, teneatur metu cessante verè contrahere?  
 423. Respondetur non teneri.  
 424. Nisi casu, quo damnum illatum aliter reparari nequit.  
 425. Objectiones solvuntur.  
 426. An valida sint sponsalia metu extorta?  
 427. Defenditur affirmativa.  
 428. Respondetur ad opposita.  
 429. Quomodo sit probandus metus?  
 430. Regula circa hoc.  
 431. Quid intelligatur per Metum cadentem in virum constantem?  
 432. Quid faciendum, si omnibus consideratis, est dubium, an metus gravis sit?

L 3

Quæ-



**384** **Q**uæritur 1. Quid sit Vis, & Metus? **1.** Vis, ut *Libr. 1. Tit. 40. n. 1.* ex Paulo Jcto eam descripsi, est majoris rei impetus, qui repellere non potest. Dividitur in Vim absolutam, & conditionalem. Absoluta liberum consensum omnino tollit; *Conditionalis* duntaxat minuit, dum involuntarium imperfectum, seu conditionatum admiscet. Hæc posterior, & Metus pro Synonymis, vel saltem connexis accipiuntur, prout fit *tit. de bis, quæ vi, metusve causæ sunt.* ubi idem, quod statuitur de vi, etiam statuitur de metu, & vicissim. *Rationem* dat Clericat, *de Sacr. Matr. decis. 27. n. 4.* quia Vis, & Metus sunt Correlativa, & quod de uno dicitur, etiam intelligitur de altero; Vis siquidem consistit in inferente Metum, & se habet per modum agentis; Metus autem stat in persona, cui Vis inferitur, & se habet per modum patientis.

**385** Porro Metus, ut *Libr. 1. Tit. 40. n. 2.* explicavi multiplex est; nam *ratione causæ* dividitur in eum, qui inferitur à causa necessaria, & in eum qui inferitur à causa libera; *ratione modi* in eum, qui inferitur justè, & in eum, qui inferitur injustè; *ratione qualitatis* in Metum levem, & gravem: quod dupliciter fieri potest, scilicet vel directè, & animo extorquendi consensum à metum passò; vel indirectè, & ob aliam causam, ita tamen, ut metum passus ejus occasione metu se liberatus consensum præstet. *Recolantur dicta Tit. 40. cit. à n. 1.* quæ hic non vacat repetere.

**386** **Q**uæritur 2. Quale Impedimentum sit Metus? **1.** Est Impedimentum dirimens, & quidem non infimi loci, prout constat ex *c. cum locum 14. c. veniens 15. c. consultationi 28. b. tit. & c. significavit 2. de eo, qui duxit* etc. ubi declaratur, Matrimonia, Metu iniura, esse nulla, & irrita. Et id quidem meritò; præterquam enim, quòd tale Matrimonium non significet voluntariam conjunctionem Christi cum Ecclesia (quam Sacramentum Matrimonij denotat) adversatur etiam bonis Matrimonij, ut bono prolis, cum propter displicentiam coactus non intendat procreationi prolis, & bono fidei conjugalis, cum propter invitas Nuptias conjuges facilè labantur in adulterium. *Engl. hic. §. 5. n. 2.*

**387** *Dubium* duntaxat est, qualis debeat esse Metus, ut irritum Matrimonium faciat? **1.** Distinguendo: Vel enim metus solummodo levis est, vel gravis, & cadens in virum constantem. *Si primum, certum est, eum metum non sufficere, ut irriter Matrimonium, etiamsi injustè ad extorquendum conjugalem consensum incussus sit, ut cum alijs notat Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 5. n. 1. §. primò, & colligitur ex c. veniens cit. ubi relatus Alexander III. ad conjugij nullitatem exigit metum, qui in virum constantem cadat: Neque id immeritò;*

quia metus levis sicut exigua vis est, cum facilè superari possit, ita etiam exigua ejus in Jure consideratio habetur, aut ratio, etiam in Matrimonio. Accedit; quia si metus levis sufficeret ad Matrimonij nullitatem, Matrimonia plurima vel nulla, vel dissolvenda essent, cum ex metu levi sæpissimè contrahantur.

*Si secundum, interest, an metus ille gravis incussus sit à causa necessaria, ut est metus mortis ex morbo, peste, naufragio &c. an verò à causa libera, Si à causa necessaria, iterum non irritatur Matrimonium, eo metu contractum, prout facilè omnes concedunt: & ratio est, quia ex tali metu contrahens non patitur injuriam; metus autem non irritat Matrimonium, nisi cum injuria sit conjunctus, ut mox statuetur. Conf. Nam ille solum metus irritat Matrimonium, qui ceteros Contractus facit rescissioni obnoxios. Sed metus à causa naturali, & necessaria incussus, non facit rescissioni obnoxios contractus ceteros. ergo &c.*

Quòd si metus gravis inferatur *à causa libera*, nempe homine, tertia distinctio est adhibenda, an is justè, vel injustè incussus sit. *Si justè, sive ab eo incussus est, cui Jure competit grave malum, nisi Matrimonium contrahatur, inferre, Matrimonium eo metu contractum non irritatur. Ita Host. in c. veniens cit. in fin. Joan. Andr. ibid. n. 8. Ancharan. n. 6. Abb. n. 8. Less. l. 2. de J. c. 17. n. 37. Sanch. l. 4. D. 13. n. 3. Conink de Matr. D. 28. dub. 1. n. 14. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 5. n. 2. §. tertium. Zoes. hic n. 73. Engl. §. 5. n. 3. Pirh. n. 104. Schamb. n. 149. Wiest. n. 228. & hoc teste satis concors, & certa sententia aliorum præcipui nominis Interpretum, & DD. Estque perinde, sive metus iste illatus alicui sit à Judice præcipiente, ut v. g. ducat Virginem à se vitiatam sub spe Matrimonij, sive ab alio v. g. parente, minitante, se accusaturum stupratorem, nisi ducat filiam ipsius, cui is stuprum intulit.*

*Ratio est 1.* Quia talis metus censetur incussus, non tam à Judice, vel parente, quam à Lege, vel ipsomet, qui metum hunc patitur, dum suâ culpâ fecit id, propter quod nuptias sub tali comminatione ab eo exigi Jura permiserunt juxta *l. si mulier 21. pr. ff. quod met. caus.* ibi, *Quia hunc sibi metum ipsa infert.* **2.** Conjugia metu extorta irritantur non præcisè, quia is perfectam, & ad consensum spontaneum requisitam libertatem tollit, sed quia hæc tollit injustè, seu modo non permisso à Jure. **3.** Matrimonium metu gravi injustè extortum irritatur, quia ejusmodi Matrimonia difficiles solent habere exitus, atqui ex Matrimonio coacto per metum justè incussum non timentur tam infelices exitus; quia animus aliquantum quiescit, cum quis confide-



derat se justè compulsum esse ad contrahendum. 4. solum ille metus irritat Matrimonium, qui ceteros contractus facit rescissioni obnoxios. atqui ob metum justè incussum contractus ceteri non rescinduntur *arg. l. continet 3. & l. mulier cit. ff. quod met. caus.* 5. Tale Matrimonium contrahenti est omnino voluntarium, saltem in causa, & per se aptum conciliare amorem conjugalem, cum fuerit ratio alteri evadendi ingens periculum.

391 Et hinc passim à DD. validus pronuntiat Contractus Matrimonij in frequentibus casibus. 1. Si reus, in ærumnoso carcere justè detentus, ut libertatem consequatur, se ad nuptias cum filia detinentis ineundas offert, vel à detinente oblatas sub ea conditione acceptat, & actu contrahit. 2. Si bello justè sibi illato ad angustias redactus, vel in arce obsessus, sub conditione pacis obtinendæ, vel obsidionis solvendæ duxit filiam hostis, à quo bello impetitus, vel obsessus est. 3. Si reus, ad mortem, vel trirèmes damnatus, ut vitam, & libertatem servet, Matrimonium inuit cum uxore, filia, vel consanguinea occisi, vel etiam cum meretrice. 4. Si, qui Sponsalia cum aliqua puella rite contraxit, vel eandem sub spe, & promissione Nuptiarum decepit, & corruptit, eam, Excommunicationis, vel alterius gravis pœnæ, à Juce Ecclesiastico intentatæ, metu cogitur ducere. 5. Si Juvenis, quem pater in flagitio cum filia deprehendit, & accusationem sceleris apud Judicem comminatur, ut hanc evitet, vitiatam ducit &c. quos casus sparsum per *D. 13. cit. & præc.* adducit Sanchez. Et ratio est; quia his casibus, quamvis metus gravis interveniat, non tamen est metus injustus. Hinc paritas non est cum casu *c. veniens cit.* ubi juveni, à patre in flagitio deprehenso cum filia, & propterea coacto ad ineundum cum illa Matrimonium, subvenitur declaratione nullitatis; nam in hoc casu metus non justè, sed injustè fuit incussum, quod pater non accusationis sibi permittit, sed mortis, vel alterius mali, quod inferre privatus non potest, timore ad Matrimonium contrahendum impulerit, ut cum alijs *ibid.* notat Barbosa. *n. 3.* & non obscurè innuit textus ipse; loquitur enim de metu cadente in constantem virum, cujusmodi non est, qui secundum Jus intentatur, cum illum passus censeatur eum sibi ipse inferre, faciendo rem eo dignam *l. si mulier cit. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 4. n. 12. Sanch. D. 13. cit. n. 3. Wiest. hic n. 225.*

392 Quare dicendum, quod solus ille metus invalidet matrimonium, qui gravis est, & à causa libera injustè incussum. Est communis, & certa omnium ferè TT. & Canonistarum sententia, & habetur *c. cum locum 14. c. veniens 15. & c. b. tit. Pro-*

*ceditque hoc 1.* etsi metu coactus verè consenserit in matrimonium; nam consensus iste ipso Jure est irritus, quod hujusmodi matrimonia irritat, non ex præsumptione ficti, sed veri etiam consensus, ut rectè Pirh. *hic n. 100. not. 3.* *Procedit 2.* etiamsi ita contrahens suâ culpâ incidit in hunc metum. Vallens. *hic §. 8. n. 4. Zœl. n. 75.* & colligitur ex *c. veniens cit.* ubi matrimonium decernitur invalidum, si contractum fuerit ex metu, cui Sponsus, & Sponsa per delictum, seu concubitum illicitum causam dederunt; nam ut metus censeatur esse justè incussum, non sufficit aliquem metui causam dedisse, nisi etiam, qui metum incuit, jus habuerit incutiendi, quod in casu *c. cit.* pater non habuit. *Procedit 3.* etsi metus ejusmodi non inferatur ab eo, cum quo quis contrahere cogitur, sed ab alio quocunque, si id fiat ad extorquendas nuptias, Sanch. *l. 4. de matr. D. 12. n. 19.* Corink *D. 22. dub. 1. n. 6.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 1. n. 2.* Pirh. *hic n. 101. not. 5.* S. hamb. *n. 148.* Wiest. *n. 227.* & colligitur ex *c. veniens cit.* ubi irritum dicitur matrimonium, quod initum est cum puella ex metu mortis, quam minitatus est ejus parens. *Ratio est;* quia Jus non tam in odium metum incutientis, quam in favorem libertatis Matrimonij irritavit Matrimonium tali metu extortum, ut expressè colligitur ex *c. cit.* ne scilicet quis cogatur invitus contrahere; atqui patiens metum æquè est invitus, sive ab ipso contrahente, sive ab alio tertio cogatur ex metu contrahere, ergo &c. *Conf.* quia metus, qui contractus, & actus alios infirmos, ac rescissioni obnoxios reddit, matrimonium facit irritum ipso Jure, ut eum communi docet Sanchez. *l. cit.* atqui alij Contractus, & actus metu gesti ad instantiam metum passi rescinduntur, licet metus non eorum, quibuscum actus gesti sunt, sed alicujus tertie personæ injuriâ ulatus fuerit *l. si cum exceptione 14 §. in hac actione 3. ff. quod met. caus. ergo &c.*

Atque hinc sequitur invalidum esse 393 Matrimonium. 1. Quod initum est metu carceris, privationis officij, gravis damni in rebus, vel alterius vexationis injustæ, ad nuptialem consensum extorquendum incusso *c. cum locum &c. cit.* 2. Contractum à Virgine cum Juvene, quem illa averfabatur, ex mera reverentia in parentes, cum indignationis, exprobrationum, duræ tractationis, & similibus incommodorum verisimili existimatione conjuncta juxta dicta *Libr. 1. Tit. 40. n. 5.* 3. Initum à muliere cum filio Medici, qui eidem minabatur se subtracturum ei curationem, ex officio, & justitia illi debitam, nisi nuptias contraheret cum ejus filio; secus, si curationem non debeat ex officio, & justitia, & Matrimonium petat tanquam stipendium. Sanch. *l. 4. D. 12. n. 15.* 4. Contractum à Juvene



vene cum puella, quacum ipsi in flagran-  
ti deprehenso pater minatus est mortem,  
vel mutilationem, si illam filiam suam non  
duceret *c. veniens cit.* 5. Extortum à Ju-  
vene, & initum cum puella, quam quidem  
stupravit, sed sine promissione, vel spe ma-  
rimonij, metu ærumnosi carceris, cui illum  
Judex inclusit, donec matrimonium cum ea  
contraheret; cum enim ad stupratam du-  
cendam, vel dotandam alternativè solum  
teneatur *arg. c. pervenit 2. de adult. Et supr.*  
determinatè ad illam ducendam obligari,  
& carceris ærumnis compelli Jure non po-  
tuit, ut rectè observant Sanch. l. 4. D. 13.  
n. 7. Pont. de matr. l. 4. c. 18. n. 13. Wiest,  
hic n. 226.

394 Porro ratio, quare Matrimonia,  
metu gravi injustè incusso extorta, irritata  
à Jure sint, est; quia cum matrimonia coa-  
cta infelices soleant habere exitus, expedie-  
bat, ut illa essent plenè libera, ita, ut quis  
non possit ad ea per injuriam cogi, cogi au-  
tem ad ea quis posset per injuriam, si me-  
tu tali contracta forent valida; quia semel  
validè contracta amplius rescindi nequeunt.  
Et hinc dispar est ratio matrimonij, & alio-  
rum Contractuum; nam isti auctoritate  
Judicis rescindi possunt; conf. necesse non  
fuit, ut metus gravis eosdem irriter.

395 Quæritur 3. Quid requiratur, ut  
matrimonium ex causa metus sit irritum?  
1. Juxta omnes requiritur, ut metus iste  
sit gravis, à causa libera injustè incussus,  
prout patet ex hæcenus dictis.

2. Juxta aliquos requiritur, ut eo  
metu cogatur aliquis contrahere cum certa  
femina. Hinc validum putant matrimo-  
nium, quod Titius e. g. iniit cum Bertha,  
una ex tribus sororibus, ad quarum unam  
ducendam gravi, & injusto metu fuit coa-  
ctus. Ita Præposit. in *c. cum locum 14. b.*  
*tit. n. 8. Felin. in c. in præsentia 8. de Probat.*  
*n. 37. Jafon. in l. Titia 134. ff. de V. O. n.*  
*6. in fin. Azor p. 1. l. 1. c. 11. in fin.* Et  
videtur hoc etiam probari à paritate cum  
electione; nam etsi Electores ad unam ex  
tribus personis eligendam injustè coacti sint,  
si tamen liberè eligant aliquam ex his tribus,  
electio valida est, ut dixi *Libr. 1. Tit. 6. n.*  
*66.* ergo etiam subsistet sic initum, & extor-  
tum matrimonium argumento ducto à ma-  
trimonio Spirituali ad carnale. Conf. ideo  
electio valet in casu dato, quia Electores  
spontaneæ, ac liberæ voluntatis determi-  
natione electi personam prætulere cæteris.  
Hoc etiam fecit Titius eligendo Bertham;  
nam istam nullo metu coactus duxit, cum  
potuerit ducere quamcumque ex tribus So-  
roribus. Ergo &c.

396 Sed melius ejusmodi matrimonium  
validum esse negant Covar. p. 2. de Spon-  
sal. c. 3. S. 5. n. 8. Sanch. l. 4. de matr. D.  
12. n. 20. Pont. l. 4. de matr. c. 14. n. 14.  
Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 5. n. 1. Pal. tr. 2.

D. 1. p. 9. n. 9. Perez D. 17. de matr. sect.  
10. n. 6. Pirh. hic n. 103. Wiest. n. 228.  
Ratio est; quia matrimonium contrahens,  
ut validè contrahat, debet gaudere plena  
libertate *c. cum locum cit.* hac libertate plena  
non est gavifus Titius in casu dato; quia metu  
injustè incusso coactus est ad ducendam  
unam ex tribus, quas cum averfatus sit om-  
nes, ex nuptijs secutus cum una timeri Jure  
possunt infelices exitus, qui ex coactis nup-  
tjjs provenire solent.

Ad Argumentum, & Confirmationem  
oppoſita sententiæ imprimis Electio, ejusque  
de aliquo celebratæ acceptatio solum est via,  
& inchoatio quædam Spiritualis conjugij in-  
ter Prælatum, & Ecclesiam intercedentis;  
conf. non Matrimonio carnali, sed Spon-  
salibus solum de futuro æquiparatur; quæ  
cum juxta probabiliorem, ut *infra n. 427.*  
dicetur, etsi metu gravi extorqueantur,  
valida tamen sint, non mirum est, quòd etiam  
Electio hujusmodi valeat. Deinde à valore  
Spiritualis conjugij ad carnale argumentari  
non licet, quando contrarium de carnali  
est ipso Jure expressum; est autem ex-  
pressum Jure, quòd metu gravi extortum  
invalidum sit. Igitur cum tale sit etiam in  
casu dato matrimonium Titij, non obsta-  
te valore Electionis ejusmodi metu factæ,  
etiam ipsum invalidum erit.

3. Satis multi DD. requirunt, ut  
metus eo sine incussus sit, ut extorqueatur  
Matrimonium. Hinc validum dicunt Ma-  
trimonium initum metu gravi, injustè qui-  
dem, sed alio sine incusso, quam ut Matri-  
monium per eum extorqueatur. Ita Sanch.  
l. 4. D. 12. n. 3. Conink D. 28. dub. 1. n.  
9. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 5. n. 1. §. se-  
cundò, Perez D. 17. de Matr. sect. 9. n. 3.  
Zoch. hic n. 74. Pirh. n. 105. Schamb. n.  
151. Fundantur 1. quia si matrimonium esset  
irritum, tale esset vel Jure naturali, vel Di-  
vino, vel Ecclesiastico; non naturali, aut  
Divino; quia voluntario, & spontaneo  
consensu electum, & initum est: non etiam  
Ecclesiastico; quia textus, qui irritum de-  
clarant matrimonium metu initum, solum  
loquuntur de metu, qui ad id extorquen-  
dum incussus est, ut patet ex *c. cum locum,*  
*c. veniens, c. consultationi, & c. significavit*  
*cit.* 2. Quia cum metus alio, quam con-  
jugij extorquendi sine incuitur, contrahens  
ad matrimonium à nemine impellitur, sed  
ipse metum passus illud, tanquam medium  
ad propulsandum, quod intentatum est,  
malum spontaneo consensu eligit; & licet  
ejus mali intentione patiatur violentiam,  
& injuriam, ista tamen non intervenit in  
contractu nuptiali, utpote quem liberè, &  
spontè, nullo cogente, eligit; ac proinde  
contrahens nec est, nec dici valet ad matri-  
monium coactus vi injusta. 3. Ingressus  
in Religionem, & susceptio Habitus Jure  
subsistet, etsi mortis ex infirmitate immi-  
nent,



mentis metu fit facta & sicut nobis 17. de Regular. & ratio est, quia adhuc liberè, & sponte facta est. Atqui non minùs liberè, & spontè contrahitur Matrimonium, si contrahatur ob mortis, vel alterius mali, alio, quàm ipsius extorquendi, animo intentati, periculum. Ergo & ipsum subsistet; nam à matrimonio Spirituali ad carnale, & vicissim rectè ducitur Argumentum. 4. Saltem dubium est, an hoc casu Matrimonium contractum sit Jure irritum. In dubio autem ejus valor potius, quàm nullitas adstruenda est propter specialem, & justum ejus favorem. Ergo &c.

899 Sed probabilis Matrimonium, ex metu ita incusso contractum, irritum, & nullum est. Ita Ant. Cucchus l. 5. Inst. major. tit. 12. n. 160. Palacios in 4. dist. 29. D. un. ad fin. §. novò, Veracruz Specul. p. 1. art. 8. dub. 3. §. clarissimè, Card. de Lugo de 7. §. 7. D. 22. n. 175. Wiest. bic n. 230. Magnif. P. Schmier p. 3. de Imped. matr. c. 4. n. 42. Offenditur 1. ex c. cum locum cit. ubi Alexander III. Pontifex in contrahente matrimonium exigit plenam securitatem à metu injusto, neque distinguit, an metus ad nuptias extorquendas incussus sit, vel alio fine, additque rationem; quia ex coactis Matrimonij facile sequuntur infelices exitus. Atqui hæc plena securitas deficit, & contra infelices exitus timeri possunt, etsi Matrimonium contractum sit metu, ob alium finem, quàm ad extorquendum Matrimonium incusso. Ergo &c. 2. Professio Religiosa, ex metu etiam ob alium finem, quàm ad eam extorquendam injustè incusso facta, est ipso Jure irrita, prout sumitur ex c. perlatum 1. de bis, que vi, methive causâ &c. Igitur si à matrimonio Spirituali ad carnale legitime ducitur Argumentum, ut volunt Adversarij, etiam Matrimonium carnale irritum erit, etsi metus injustus alio fine, quàm animo illud extorquendi illatus fuerit. 3. Matrimonium ijs casibus ob metum injustè incussum irritum est, quibus casibus ceteri contractus, & actus metu initi sunt rescissioni obnoxij, atqui ceteri contractus, & actus rescissioni obnoxij sunt, si metu gravi sunt initi, sive deinde malum illud, cujus metu initi sunt, intentatum sit animo eos extorquendi, sive alio fine, ut patet arg. l. nec minorem 7. ff. quod met. caus. & ostenditur ex eo, quia utroque modo metum passo infertur injuria; conf. istum inferens obligatur ex Justitia ad damni hac injuriâ dati rescissionem: quod aliter fieri nequit, nisi ut eum, qui metum passus est, reducat in pristinum statum, & permittat rescindi Contractum, si rescindibilis sit. Ergo &c. 4. Ratio, quare Matrimonium, quod metu gravi ad extorquendum incusso initum est, irritatum à Jure sit, est injuria, quam metum inferens intulit, dum causam dedit, ut metum passus consenserit, non consensurus, A. P. Schmalzgruber l. 17.

si metus abfuisset. Atqui non minùs injuriam infert, qui alio fine metum infert, & hic metus pariter causa, vel saltem occasio est consensûs in Matrimonium, in quod non consentiret metum passus, si metus abesset, ergo &c. 5. Matrimonium, mortis, vel alterius gravis mali metu injustè incusso initum irritatum est, ut consuleretur libertati illius, qui metum passus est, & occurreretur malitiæ, & injustitiæ inferentis, ne scilicet metum passus ex aliena injuria pateretur damnum irreparabile, & is, qui eum intulit, ex sua iniquitate referat lucrum inauferebile; atqui hæc ratio æquè militat contra Matrimonium contractum metu gravi, etsi ob alium finem, quàm animo illud extorquendi, injustè incusso. Ergo &c.

Ex quo sequitur, invalidum esse Matrimonium. 1. Quod innocens, à Judice aliàs condemnandus, contraxit cum filia Judicis, ut sententiæ injustæ metu se liberaret, licet Judex eum condemnare intenderit alio fine, quàm ad extorquendum Matrimonium. 2. Contractum metu Sententiæ, secundum allegata quidem, & probata, in innocentem tamen ferendæ à Judice; cum enim, ut Libr. 1. Tit. 40. n. 31. dictum est, actus alij, metu ex parte solius patientis injusto gesti, ad illius instantiam rescindantur, Matrimonium ex simili metu contractum erit irritum. 3. Initum metu cujuscunque gravis mali, & vexationis injustæ, illato ob quemcunque finem, etiam sine ejus mali inferendi animo; quia non tantum illatio talis mali, sed etiam comminatio injusta est, eodémque modo ista, quo illa, voluntatem ad consensum impellit, cum metum non causet malum, sed ejus inferendi apprehensio, quæ eadem est, eodémque modo movet, & extorquet consensum, sive adsit animus exequendi minas, sive absit, ut iterum dictum est Tit. 40. cit. n. 32. 4. Initum à Juvene, qui deprehensus in flagranti à patre cum filia in flagitio, ut mortis, vel mutilationis ab eo in flagitij ultionem inferendæ discrimen effugeret, parenti nuptias cum eadem obtulit, aut ab illo oblatas accepit. 5. Contractum à Muliere infirma cum Medico, cui, quod ille curationem ex officio, & justitia sibi debitam eidem ex odio, ignavia, vel alia simili causa denegavit, ut ad se curandam induceret, se eidem, aut filio ejus ad nuptias obtulit &c.

Argumenta adversæ Sententiæ intentum non obtinent. Ad 1. c. cum locum cit. procedit etiam de conjugio, quod obtentum est gravi metu, alio fine, quàm ad id extorquendum incusso. Deinde esto, cit. textus loquantur tantum de metu, ad Matrimonium extorquendum incusso, ratio tamen, fundata in plena, & ab omni injusto metu libera securitate, procedit etiam de conjugijs initis gravi metu, ex alio fine, quàm ad Matrimonium extorquendum incusso.



*Ad 2. esto, metus illatus non sit ad Matrimonium extorquendum, illud tamen ab inferente metum, aut in ejus gratiam ab alio obtentum est injuria, quæ causa consensus in Matrimonium fuit, ac proinde iste non fuit verè, & simpliciter spontaneus, sed coactus.* *Ad 3. exemplum ibi adductum non est ad rem; quia metus, conceptus ex periculo mortis imminenti ob morbum gravem, non est injustè incussus: cons. mirum non est, quòd ingressus Religionis, & Professio, ex ejusmodi metu facta, sit valida.* *Ad 4. quòd in dubio pro Matrimonio pronuntiandum sit, verum est regulariter, non tamen semper, præsertim quando dubius valor propter metum est; tunc enim melius pronuntiatur contra Matrimonium, tum quia coacta Matrimonia difficile habent exitum, tum verò quia valor Matrimonij injusto metu contracti metum passio inferret damnum irreparabile, inferenti verò afferret commodum inauferrabile. Ergo &c. Sed hinc ulterius*

**492** *Dubium nascitur, quid dicendum sit de casu, quo Titio timenti damnum in rebus suis, aut injustam vexationem à Sempronio intentatam, Cajus liberationem ab illa promittit Titio, si iste filiam ejusdem Caij ducat in uxorem; nam tali casu si acceptet Caij promissionem Titius, & ducat filiam Caij, quaritur, an validum sit tale Matrimonium? Ratio dubitandi sumitur ex resolutione præcedentis questionis; nam ut ex ibi dictis sequitur, si ipse Sempronius, qui metum intulit, promitteret liberationem ab eo metu sub conditione Matrimonij in eundi à Titio cum ejus filia Mavia, Matrimonium, hujus liberationis intuitu contractum à Titio cum Sempronij filia, esset invalidum, Atqui par videtur esse ratio casus in Dubio præsentis positi. Ergo etiam in hoc Matrimonium erit irritum, vel neque irritum erit in priori casu.*

**493** *Sed difficultas hæc expediri ope distinctionis potest: Vel enim Cajus ad Titium à vexatione per injuriam illata liberandum ex Justitia obligatus fuit, vel non. Si primum, Matrimonium è Titio ita initum invalidum est; quia eo casu Cajus denegatione auxilij injuriam inferit Titio, & metum, ex injusta vexatione conceptum, auget, ac firmat, cessaturum, vel saltem minuendum, si eidem Cajus auxilium debitum præstitisset. Si secundum, Matrimonium illud validum est, ut rectè advertit P. Wiestner hic n. 238. Ratio est; quia hoc à Cajo oblatum, & à Titio acceptatum est in compensationem auxilij, & mediolorum pro liberatione impensorum, quæ eo ipso, quòd Jure fuerint indebita, oblatione conjugij, vel istius oblatis acceptatione compensari potuerunt.*

**494** *Neque obest, quòd oblationi, & acceptationi conjugij occasionem dederit me-*

tus tum vexationis illata à Sempronio, tum carentiæ auxilij ad liberationem à Cajo, si filiam illius non ducat, denegandi; nam imprimis metus denegandæ liberationis, quia ex Justitia hæc non debebatur, injustus non fuit, metus Sempronianæ vexationis injustus quidem fuit, afficere tamen non potuit Cajum, & illum impedire, quin in compensationem liberationis à se præstandæ petere potuit nuptias cum filia sua. Unde corrumpit ratio dubitandi: negatur enim paritas inter casum præsentem, & positum in Argumento; nam in eo ponitur ipse Sempronius incussisse metum injustum.

**Quaritur 4. ex quo Jure nullitas Matrimonij, metu injusto extorti, descendat? Ex Jure naturali eam descendere existimant Scot. in 4. dist. 29. q. un. §. de secundo. Covar. p. 2. de sponsal. c. 3 §. 5. n. 6. Alex. Carrerius l. 4. de sponsal. c. 9. fin. Molin. tr. 2. de J. & J. D. 326. n. 14. Pont. l. 4. de Matr. c. 14. n. 4. Barbof. ff. solut. matr. ad Rubr. p. 4. n. 30. Gonzal. in c. veniens 15. b. tit. n. 5. Gobat. Theol. Exper. tr. 9. n. 245. Haun. tom. 2. de J. & J. tr. 8. n. 107. König. ad tit. de eo, qui duxit Ec. n. 16. Magnif. P. Schmier p. 3. de Imped. Matr. c. 4. n. 54. & seqq. Rationes, quibus nituntur, minimè leves sunt. I. Quia Jus Ecclesiasticum in textibus planè omnibus, qui supra n. 386. adducti sunt, non tam irritat Matrimonium metu contractum, quàm antiquiori aliquo Jure irritatum supponit; loquitur enim de Matrimonijs jam contractis, & declarat illa, si metu inita sint, esse invalida. Atqui non extat Jus Ecclesiasticum antiquius, quo Matrimonium hujusmodi irritetur. Igitur cum aliquo Jure debeat irritatum fuisse, dicendum est, quòd irritatum sit Jure naturali. 2. c. cum locum est, Matrimonia coacta pronuntiantur irrita ex ratione, quòd vis, & coactio, sive metus tollat consensum. Consensus autem Jure naturali ad valorem Matrimonij requiritur, ergo &c. 3. Matrimonium ex natura sua inducit vinculum perpetuum. Nullum autem violentum est perpetuum, teste Philosopho. Ergo coactio repugnat naturæ Matrimonij, & cons. Jure naturæ illud irritabit. 4. Coactio est contra principalem Matrimonij finem, qui est procreatio sobolis, & mutuum conjugum obsequium, quæ requirunt animos voluntariè conjunctos, mutuümque amorem. Ergo repugnat naturæ Matrimonij; nam hæc dicit intrinsecum ordinem cujusque rei ad suum finem. 5. Si natura ejusmodi Matrimonium non irritasset, non satis consulisset indemnitati innocentis passi metum injustum; cum enim semel validè contractum nulla humana auctoritate dissolvi valeat, eo ligaretur ille, qui in id metu coactus consentit, ac proinde ex injuria sibi illata pareretur damnum irreparabile, dum vicissim metum inferens**



refert commodum non auferibile. Utrumque autem repugnat naturæ genio, ergo &c. 6. Si Jure naturali Matrimonia coacta non essent irrita, valida essent sic inita ab infidelibus, utpote qui Legibus Ecclesiæ non obligantur.

406 Verùm etsi rationes istæ admodum probabilem hanc Sententiam faciant, non tamen adeo efficaces sunt, ut non probabilior adhuc sit Sententia, juxta quam nullitas ista in solum Jus Ecclesiasticum immediate refunditur. Ita Sylv. V. Matrimonium 8. q. 11. dist. 3. Tabien. V. Impedimentum Imped. 9. q. 2. n. 3. Navar. Man. c. 22. n. 59. Sor. in 4. dist. 29. q. 1. art. 3. v. qui ergo hanc opinionem, Henric. l. 11. de Matr. c. 9. n. 1. § 3. Sanch. l. 4. de Matr. D. 14. n. 2. Conink D. 28. dub. 2. n. 16. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 5. n. 1. § 4. v. tertio, Perez D. 17. sed. 11. n. 2. Card. de Lug. tom. de J. § J. D. 22. n. 115. Vall. hic §. 8. n. 4. Zoes. n. 72. Pirh. n. 106. Schambog. n. 152. Wiest. n. 242. Ratio est 1. Quia ad valorem, sicut cujuscunque alterius contractus, ita etiam Matrimonij Jure naturali plus non requiritur, quam iustus titulus, & voluntarius consensus. Atqui neutrum excludit metus: non titulum; quia metu non obstante, intervenit traditio Juris in corpus pro Jure in corpus: non voluntarietatem; quia hanc metus solum diminuit, non verò tollit. 2. Si Matrimonium metu coactum esset Jure naturali irritum, tale esset propter injuriam, quam infert metum incutiens metum passio. Atqui ex ista causa non oritur nullitas; quia aliàs irritum esset etiam Matrimonium obtentum contrahentis dolo, cum sicut metum passio, ita etiam illi, qui dolo circumvenitur, inferatur injuria: item irritum foret initum metu levi; quia etiam per hunc inferitur injuria, & sæpe mortaliter peccaminosa. 3. Non magis libertati Matrimonij obstat metus à libera, quam à necessaria causa incussus. Atqui ex Adversarijs plerique negant Matrimonium irritari metu incusso à causa necessaria. Ergo nec irritabitur, si incutiatur à causa libera. 4. Voluntarius, & liber consensus etiam requiritur ad Baptismum, & Juramentum: & tamen neque istud præstitum gravi metu, neque ille eodem metu susceptus est irritus. Ergo solo Jure naturali spectato, neque irritum erit Matrimonium, gravi metu extortum.

407 Argumenta contraria intentum non evincunt. Ad 1. licet quatuor cit. c. irritatio Matrimonij coacti non primum inducatur, & scriptum Jus antiquius non allegetur, tamen ex his ipsis textibus, & continua Ecclesiæ observantia satis colligitur, quòd ejusmodi Jus aliquando sit introductum aut viva voce, aut etiam scripto, quod deinde perijt, prout in simili responderi debet de Impedimento disparitatis Cul. R. P. Schmalzgrueber L. IV.

tus, quòd juxta omnes est Juris tantum Ecclesiastici, etsi non habeatur textus expressus, quo ostendatur illud primitus fuisse constitutum. Ad 2. metus solum tollit consensum spontaneum, quem Jus positivum exigit, non verò voluntarium, & liberum, qui ad Matrimonium de Jure naturæ sufficit. Ad 3. violentum simpliciter, quod fit passo nullo modo concurrente, perpetuum esse non potest; secus dicendum de violento secundum quid, quale reperitur in consensu metu extorto. Ad 4. consensus metu extortus, hoc ipso, quia simpliciter voluntarius, non est simpliciter, & ex se ineptus ad finem Matrimonij, sed solum minus aptus, & minus conveniens: ex quo sequitur, eum quidem valere, expedire tamen, ut irritetur. Ad 5. satis naturæ Author consuluit metum passis, dum legitimo Magistratu potestatem concessit irritandi conjugia sic extorta. Argumentum retorqueri potest in Matrimonio, quod dolosa simulatione nobilitatis, divitiarum &c. obtentum est; nam hoc non obstante, injuria, per hujusmodi simulationem innocenti illata, irrevocabiliter obligat. Sufficit ergo hujusmodi simulationem, uti & metus incussionem jure naturali prohibitam esse, ipsamque simulationem, & metus authorem obligari ad compensationem injuriæ. Ad 6. cum Petr. de Ledesim. de Matr. q. 47. art. 3. dub. 1. concl. 5. fin. Sanch. D. 14. cit. n. 3. Conink dub. 2. cit. n. 17. & alijs concedo tequelam, scilicet Matrimonia metu gravi injustè incusso inita ab Infidelibus esse valida, nisi proprijs ipsorum Legibus specialiter sint irritata; hoc enim probat ratio in Argumento allata junctis fundamentis nostræ sententiæ.

Quæritur 5. An Matrimonium, metu 408 injustè incusso extortum, sit irritum utroque foro? Aliqui, quos tacito nomine refert S. Thom. in 4. dist. 29. q. un. art. 3. que stunc. 1. in Corp. putaverunt illud in foro conscientie subsistere, si revera metum passus dedit consensum internum. Fundabantur 1. textu c. cum locum cit. ubi postquam declaratum fuit, Matrimonium metu extortum esse nullum, ratio redditur; quia Matrimonium solo consensu perficitur, & ubi coactio est, deficit consensus. ergo si revera adfit consensus, valebit Matrimonium. 2. In foro interno præsumptio veritati cedit. atqui Ecclesia ex metu solum præsumit non adesse consensum internum. 3. Ad consensum internum in Matrimonio non potest dari coactio, sed solum ad prolationem verborum, ergo si verè adest consensus internus, is liber est, & Matrimonium, eo consensu contractum, liberum erit, cons. validum quoad DEUM.

Sed dicendum, Matrimonium, metu 409 gravi injustè incusso initum, in utroque foro esse nullum, & irritum. Ita S. Thom. l. cit. Sylv. V. Matrimonium 8. q. 11. dist. 3. M 2 Ta-



Tabiena *V. Impedimentum Imped.* q. 2. n. 3. Sot. *diff.* 29. *cit.* q. 1. *art.* 3. *¶. refutatur tamen.* Navar. *Man.* c. 22. n. 51. *fin.* Alex. Carrerius l. 4. *de Sponsal.* c. 9. Henric. l. 11. *de Matr.* c. 9. n. 1. Sanchez l. 4. *de Matr.* D. 12. n. 18. Perez D. 17. *sect.* 10. n. 4. Pont. l. 12. c. 8. §. *ult.* n. 75. Zoel. *bic.* n. 76. Pirh. n. 98. Wiest. n. 240. Ostenditur 1. quia juxta c. *cum locum cit.* ubi adest timor cadens in virum constantem, non invenitur consensus, quo perficitur Matrimonium. adest autem consensus voluntarius, ergo hic, si coactus sit, non sufficit ad Matrimonium. 2. c. *significavit 2. de eo, qui duxit* &c. ille, qui cum una contraxit, metu injuste incusso inductus, & deinde aliam duxit, ad hanc revertendi liberam accepit facultatem, non potuisset autem facultas hæc ei dari, si Matrimonium primum metu extortum non fuisset omnino invalidum. ergo &c. 3. Convenientissimum fuit, ut Matrimonium metu extortum irritaretur pro utroque foro; quia repugnat tribus bonis Matrimonij: *Sacramenti* quidem; quia hoc significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ cum fuerit facta per liberum amorem, representari per liberum consensum Sponsorum debet: *Prolis*; quia ad hanc non multum afficientur, qui invitati sunt copulati: *Fidei conjugalis*; quia cum facile quis contemnat, quod non diligit, periculum est, ne tales conjuges fidem violent, & labantur in adulterium.

40 Neque obstant Argumenta partis adversæ. *Ad 1.* Dum c. *cum locum cit.* dicitur, quod metus tollat consensum, ut locum istum Sanch. l. *cit.* n. 26. & Conink n. 17. cum alijs explicant, id intelligendum non est, quasi consensum omnino tollat, sed quod tollat eum, quem Jus positivum postulat, scilicet liberum à coactione. *Ad 2.* Ecclesia non præsumit aliquem delinquere, nisi id legitime probetur. Fingere autem consensum. ubi non est, est peccatum mendacij, igitur ad hoc excludendum Ecclesia præsumet verba significantia consensum verè, non fictè, & mendaciter prolata esse. Quare dicendum, Matrimonium coactum ab Ecclesia non irritari ex præsumptione deficientis veri consensûs, sed intuitu incommodorum, quibus obnoxia esse solent coacta conjugia. *Ad 3.* Licet consensus internus extorqueri vi, aut metu nequeat, mali tamen intentati metu impellente, præstari potest, & solet etiam, cum metus urget.

411 Queritur 6. An Matrimonium metu contractum firmetur adjecto Juramento? Aliqui cum Richard. in 4. *diff.* 29. *art.* 2. q. 3. affirmant ratificari, saltem in foro conscientie. Et videtur istud probari 1. ex *can. inter cetera 22. caus.* 22. q. 4. ubi S. Augustinus Matrimonium cujusdam Hubaldi, quod timore mortis impulsus, præcedente tamen Juramento, cum concubina contra-

xerat, pro valido habet. 2. Quia alij Contractus, & actus, est de Jure invalidi sint, si tamen Juramento stabiliantur, sunt validi, ut dictum est *Libr. 2. Tit. 24. n. 86.* ergo etiam Matrimonium. 3. Quia per Regulam c. *cum contingat 28. de Jurejur.* & c. *quamvis 2. de Pact.* in 6. omne Juramentum, quod sine præjudicio tertij, & salutis æternæ dispensari potest, servari debet. ita autem servari potest, etiam, quod metu extortum est. ergo &c.

Sed melius negatur, per adjectionem, Juramenti convalidari Matrimonium gravi metu contractum. Ita Gloss. in c. *significavit 2. de eo, qui duxit* &c. Abb. *ibid.* n. 5. Alex. de Nevo n. 5. §. 6. Sylv. *V. Matrimonium 8. q. 11. dict.* 8. Armill. *V. eod.* n. 41. Tabien. *V. impedimentum Imped.* q. ad *fin.* Pacian. *de Probat.* l. 2. c. 3. n. 56. Alex. Carrer. l. 4. *de Sponsal.* c. 9. Sanch. l. 4. *de Matr.* D. 20. n. 12. Conink D. 28. *dub.* 4. n. 44. Perez *sect.* 4. n. 5. Laym. l. 5. *tr.* 10. p. 2. c. 5. n. 1. Clericar. *de sac. Mar.* *decis.* 27. n. 36. Pirh. *bic.* n. 121. Wiest. n. 247. & alij, juxta quos sicut Matrimonium, ita & Juramentum ipsi adjectum irritum est, ita, ut ne quidem obligationem ex Virtute Religionis inducat. Ostenditur 1. ex c. *significavit 2. de eo, qui duxit* &c. ubi dicitur, eum, qui post Matrimonium metu contractum cum aliqua, & Juramento firmatum aliam duxit, debere manere cum secunda, non posset autem cum secunda manere, sed cogendus esset redire ad primam, si Matrimonium cum ista initu convalidasset addito Juramento, ergo &c. 2. Matrimonium, gravi metu extortum, invalidum est ob defectum spontanei, ac plenè liberi consensûs, qui ad substantiam Matrimonij, ut ex hæcenus dictis patet, requiritur, atqui Juramentum non supplet defectum consensûs substantialiter requisiti. 3. Quamdiu metus durat, personæ inhabiles sunt ad contrahendum Matrimonium, sicut inhabiles sunt ad contrahendum clandestinè, ex Decreto Ecclesiæ talia Matrimonia irritantis, atqui per Juramentum non efficiuntur habiles. ergo illud non possunt confirmare per Juramentum. 4. Juramentum sortitur naturam, & conditiones actûs, cui apponitur, igitur sicut Matrimonium ad sui valorem requirit abesse metum gravem injustè incussum, ita & Juramentum illi adjectum hanc tacitam conditionem habet, *Si Matrimonium sit libero consensu initu;* & conf. si metu contractum sit, neque Juramentum obligat, utpote conditione non impleta, sub qua præstitum est. 5. Si Juramento convalesceret Matrimonium metu contractum, nullum remedium metum passis attulisset Ecclesia, quod tamen Matrimonia metu inita annullando vel maxime intendebat; nam qui compellit aliquem ad contrahendum, facillimè compelleret etiam ad jurandum.

Ne-



413 Neque contrarium probant Argumenta opposita. Ad 1. Ut omittam alias expositiones, in casu *can. inter cetera cit. metus*, & juramentum solummodo intervenit in pravia promissione, quâ Hubaldus promissit concubinâ se cum ea initurum Matrimonium, & matrem propriam cum fratribus expulsum domo, expulsisque negaturum necessaria vitæ subsidia; ipsum verò Matrimonium secutum dein est, metu cessante.

Hinc meritò S. Augustinus respondit firmitati Matrimonij quidem nihil ob stare, promissionem verò desituendi, & expellendi matrem, etiam Juramento firmatam, irritam, & nullam esse. Neque refert, quòd S. D. utatur verbo præsentis temporis ipsam in conjugem suscipere, quibus verbis alias significatur ipse Contractus Matrimonialis, prout patet ex *c. duobus 1. de Spons. duor.* nam in hoc textu verbum illud de futuro solum tempore intelligendum demonstrant verba *Expellere, & impendere*, ipsi eadem oratione conjuncta, quibus verbis promissionem de futuro tempore implendam significari liquet ex ipso textu. Vel si contendas verbi illius sensum alienum esse à mente S. Doctoris, & evincere velis in casu *can. inter cetera cit.* adjectum esse ipsi contractui nuptiali, propter subiecta verba, *Matrimonium sit in Domino firmum, ac stabile*, dici potest, tempore S. Augustini Matrimonium metu in initum adhuc substituisse, & ab Ecclesia sequentibus primùm temporibus irritatum fuisse, eum credibile omnino sit, non omnia Impedimenta ab Ecclesia simul fuisse inducta, sed successivè, prout casuum occurrentium necessitas exigebat. Ad 2. Negatur *Cons.* nam alij Contractus prohibentur ob utilitatem privatam; at Matrimonium ob publicam. Item licet alij Contractus irritentur; at personæ non redduntur ad contrahendum inhabiles, sicut tamen inhabilis ad Matrimonium metu durante contrahendum factus est metu patiens. Ad 3. Non semper obligat Juramentum, quod sine peccato servari potest; quando enim actus ob publicum bonum, seu utilitatem irritatur, Juramentum ei superveniens non tenet, nec observari debet *arg. c. si diligenti 12. de for. compet.*

414 Queritur 7. An Matrimonium, gravi metu extortum, & propterea nullum firmetur per copulam, illius contractum subsecutam? Affirmant id absolute Glossæ, in *c. consultationi 28. V. ante h. tit.* Paludan. in *4. dist. 29. q. 1. art. 4. n. 25.* Sot. *ibid. q. 1. art. 3. in fin. & in contrarium.* Barth. à Ledesm. de *Matr. dub. 23. in fin.* & quidam alij apud *citt.* Fundantur 1. textibus *c. consultationi cit. c. ex litteris 11. de despons. impub. & c. insuper 4. qui Matrim. accusar.* quibus textibus Matrimonium metu extortum pronuntiat irritum, nisi copula carnalis sit subsecuta, igitur argumento à sensu contrario hac se-

cuta firmabitur. 2. Quia meritò præsumitur, quòd is, qui post Matrimonium metu contractum admittit copulam, illam admittat animo potius conjugali, quàm fornicario, cum delicta non præsumantur, & fornicatio etiam metu coactis Jure naturali illicita sit, atqui si animo conjugali admittit copulam, remittit metum, & Matrimonium ratificavit, ergo &c. 3. Quia Ecclesia irritat consensum metu extortum in favorem contrahentis, qui casu isto omnino cessat, eum tali potius damnosum sit, & valde onerosum, quòd ad mortem evadendam non possit licitè consummare Matrimonium, quod alias per se, seclusa irritatione Ecclesiæ, liceret.

Sed melius respondetur distinguendo 415 do: Vel enim copula subsecuta etiam ipsa extorta metu est, vel isto jam cessante, omnino liberè, & affectu conjugali est habita. Si hoc posterius, per ita admittam copulam Matrimonium confirmatur. Ita S. Thom. in *4. dist. 29. q. un. art. 3. q. 2. ad 2.* Abb. in *c. consultationi cit. n. 7.* Alex. de Nevo *ibid. n. 10.* Henric. l. 11. c. 9. n. 7. Sanch. l. 4. de *Matr. D. 18. n. 16.* Tann. D. 8. q. 3. *dub. 2. n. 33.* Conink D. 28. *dub. 4. n. 41.* Pont. l. 4. c. 14. n. 12. Gobat *Theol. Exper. tr. 9. n. 261.* Clericat. de *Sacr. Matr. decis. 27. n. 37.* Vallens. *hic §. 8. n. 5.* Zoesl. n. 78. Pirh. n. 123. Schamb. n. 158. Wiest. n. 78. Magnific. P. Schmier. p. 3. de *Imped. Matr. c. 4. n. 70.* & communiter TT. ac JCI cæteri. Ratio clara est; quia Matrimonij valori hoc casu nihil obstat præter defectum spontanei consensus, atqui iste sufficienter exprimitur, & exprimi de Jure præsumitur per copulam carnalem spontè admittam, cum talis processisse præsumatur ex affectu conjugali *arg. c. is, qui fidem 30. h. tit.* ergo &c. Estque hoc verum etiam post Trid. modo Matrimonium contractum sit coram Parocho, & testibus, & impedimentum metus, quo contractum est, sit occultum, ita, ut in foro externo probari nequeat, ut rectè Sanch. D. 18. *cit. n. 12. §. 16.*

Quòd si verò prius contingat, & etiam 16 copula sit metu extorta, dicendum cum DD. *citt.* Matrimonium metu in initum per ita admittam copulam non confirmari. Ratio est 1. Quia Ecclesia irritavit Matrimonium, gravi metu extortum, ob defectum pleni, & perfectè liberi consensus, atqui iste per sequentem copulam carnalem, si etiam ipsa sit gravi metu extorta, non suppletur, ergo manebit invalidum Matrimonium, sicut prius. 2. Fictio non potest operari plus, quàm veritas §. *minorem 4. Inst. de Adoption. l. filio 23. ff. de Liber & posthum.* sed consensus expressus per verba de præsentis metu extortus non constituit Matrimonium, ergo à fortiori nec fictus, & præsumptus per copulam. 3. Matrimonium nunquam potest validè contrahi ex metu cadente in constan-



tem virum; quia Jura absolute talem contractum Matrimoniale irritant, ergo nec potest confirmari prius Matrimonium invalidum per actum, sive copulam postea simili metu extortam. 4. Quamdiu perseverat metus, quo contractum est Matrimonium, tandiu istud manet invalidum. atqui hic metus non tollitur per copulam simili metu extortam, sed potius augetur, dum metus additur metui, ergo &c. 5. Si Matrimonium convalesceret per copulam etiam metu extortam, Ecclesia non adhibuisset sufficiens medium coactionibus; nam compellenti ad Matrimonium, facillimum esset etiam ad consummationem cogere. 6. Eadem incommoda sequuntur ex Matrimonio metu inito, & consummato, quæ ex eodem non consummato, ergo Matrimonium utrumque fuit ab Ecclesia irritatum.

417. Ex quo sequitur, quod stante ista sententia, potius quis pati debeat mortem, quam ut postquam consensu, per gravem metum extorto, contraxit Matrimonium, illud postea consimili metu compulsus consummet, ut *l. cit.* notant Tann. n. 33. Sanch. n. 17. Conink n. 42. Pirh. n. 124. & ratio est, quia cum non valeat Matrimonium, consummatio illius verè non est aliud, quam merè fornicatio, quæ nullo metu à malitia excusari potest. Addidi stante ista sententia; quia cum contraria sententia, quæ dicit, per copulam, etiam gravi metu extortam, affectu tamen maritali habitam, ratificari Matrimonium prius metu extortum, ob DD. auctoritatem probabilis sit, hinc posset quis in necessitate sententiam illam sequi, & sic excusari à peccato, consummando tali modo Matrimonium, ut notat Sanch. *l. cit.*

418. Neque obstant Argumenta contraria. Ad 1. Textus illi solum procedunt de copula non metu, sed spontè admissa, ne quod unà viâ est prohibitum, alterâ viâ obtineatur; nam ut n. 416. dixi, facile esset copulam extorquere metu, ut hoc modo obtineatur confirmatio Matrimonij coacti metu. Ad 2. Negatur suppositum, quod hoc casu metu admittens copulam, Matrimonium consummet animo conjugali; quia hunc habere non potest, nisi erroneè, cum Ecclesia Matrimonium metu extortum irritet absolute. Ad 3. Etsi Ecclesia irritando Matrimonium coactum metu intenderit etiam favorem metum passii, principaliter tamen irritationem fecit ob favorem publicum, cui pactis privatorum renuntiare non potest, Medium evitandi mortem metum passus aliud habere potest, petendo scilicet dilationem, seu tempus opportunum, quo possit metum deponere, & sic liberè consentire, ac Matrimonium consummare; sic enim fortè suadebit metum inferenti, & simul evitabit DEI offensam,

Quæritur 3. An Matrimonium, gravi metu extortum, convalescat per diuturnam cohabitationem utriusque conjugis, subsequenter ad Matrimoniale contractum initum? Si textus *c. ad id 21. b. tit.* inspiciatur, videtur absolute tenenda affirmativa; nam ibi generaliter ex cohabitatione, per annum, & dimidium continuatâ, consensus præsumitur esse renovatus. Sed repetenda est distinctio n. 415. data, & dicendum, cohabitationem, per tantum tempus continuatam, non aliter acceptandam pro ratificatione consensus, quam si spontanea, & libera fuerit: & de hac intelligendum est *c. ad id cit.* ut notat *ibid.* Gloss. *V. per annum*, & docent Sanch. *l. 4. de Matr. D. 18. n. 3.* Perez *D. 17. s. 13. n. 5.* Gonzal. *ad c. cit. n. 5.* Gobat. *Theol. Exper. tr. 9. n. 262.* Valens. *bic s. 8. n. 5.* Zesl. n. 80. Pirh. n. 113. Schamb. n. 156. Wiest. n. 251. Magnif. P. Schmier p. 3. de *Imped. Matr. c. 4. n. 72.* Ratio est; quia ita, etiam sine commercio carnali cohabitans, affectu conjugali cohabitasse, ac proinde in Matrimonium legitime consensisse præsumitur. Estque præsumptio hæc secundum *citt.* DD. præsumptio Juris, & de Jure.

An verò præsumptio hæc locum habeat etiam nunc post Trid. nonnulli dubitant. Negat Clericat. de *Sacr. Matr. decis. 27. n. 39.* ob Declarationem S. Congreg. & Decisiones S. Rotæ, quas referunt Pont. *l. 5. c. 6. n. 7.* & Fagnan. in *c. de illis 11. de Despons. impub. n. 13.* ubi statuitur, quotiescunque Matrimonium ob aliquod Impedimentum nulliter contrahitur, eo cessante, non sufficere novum consensum ad instaurandum valorem, nisi præstetur iterum coram Parocho, & testibus. Ego hanc Declarationem, & Decisiones intelligendas judico solum de casu, quo Impedimentum, ob quod nulliter contractum est Matrimonium, est notorium, vel probabile in Judicio; quia mens statuentium fuit tollere incommoda illa gravia, & inter hæc recessum temerarium à sic clanculum ratificatis nuptijs, quibus occasio non minus, ac per nuptias merè clandestinas, daretur, si Matrimonium, cujus invaliditas publicè nota est, vel saltem in Judicio probari potest, clam posito consensu, revalidari posset. Tale periculum contra non est, quando Impedimentum, & invaliditas est penitus occulta, nec ullo modo in Judicio probari potest; tunc enim in foro externo præsumetur esse validum, & volens à Matrimonio tali recedere non audietur. Hinc cum Sanch. n. 12. & alijs judico, tali casu Præsumptionem consensus procedere etiam post Trid.

Tria tamen eo casu juxta eundem Sanch. n. 5. & duob. seqq. Pirh. *bic. n. 113. not. 2.* & alios requirentur ad hoc, ut cohabitatio conjugum sit sufficiens signum conjugalis consensus. 1. Ut ratificans Matrimo-



Matrimonium p[er] contractum fiat, illud fuisse invalidum; si enim ex errore, quo putabat prius Matrimonium fuisse validum, cohabitaret, per eam cohabitationem nunquam ratificabitur Matrimonium: & ratio est; quia nihil magis contrarium est consensui, quam error.

2. Ut cohabitatio sit diuturna: quantum verò hoc debeat tempus esse, arbitrio Judicis relinquendum est, quia sesqui annus, cujus in c. ad id cit. Pontifex meminit, tantum pertinet ad narrationem facti, non verò per id significatur, quòd tantum debeat esse cohabitationis tempus. Ut re-  
 2. Et statuat Judex de diuturnitate temporis, moraliter id accipere debet, spectata scilicet opportunitate fugiendi, & morà cohabitationis, non Mathematicè, ut rectè monet Sanch. n. 6. qui addit, hoc procedere solum in foro externo; nam in foro interno nulla temporis mora sufficit, si deficiat animus ratificandi Matrimonium.

3. Ut cohabitatio illa sit omnino spontanea, ita, ut cessarit etiam causa timoris; nam durante causa metus, durat metus: & durante metu, sicut Matrimonium non potest primò contrahi, ita nec contractum invalidè convalidari potest.

320 Queritur 9. An, qui metu injustè incusso extorsit nuptias, obligetur cum eo, qui istum passus est, si iste vellet purgato metu, verè contrahere Matrimonium? Affirmant Richard. in 5. dist. 29. art. 1. q. 1. Alex. de Nevo in c. cum locum 14. n. 29. b. tit. Turresem. in Summ. 31. q. 2. n. 11. Sylv. V. Matrimonium 9. q. 11. dist. 4. Navarr. Man. c. 22. n. 51. in fin. Henric. l. 11. de Matr. c. 10. n. 5. ad fin. Conink D. 28. dub. 1. n. 7. Pont. l. 4. c. 15. n. 3. Schambog. hic n. 160. & inclinat Pirh. ibid. n. 125. cum alijs. Fundantur 1. textu c. propositum 1. de eo, qui duxit &c. ubi Alexander III. viro, qui prima uxore adhuc vivente, duxit aliam ejus rei ignavit, cognito primæ obitu, non permisit recessum à secunda, nisi cum hujus licentia, ut adeo in istius optione fuerit recessus à Matrimonio, vel in eo perseverantia. cur non etiam id in optione mulieris metu passæ sit, cum huic illata injuria non sit minor illa, quæ illata est dolo? 2. Paritate cum alijs Contractibus e. g. Emptione Venditione &c. metu extortis, qui solum rescinduntur ad instantiam metum passi; nam si iste velit stare Contractu, etiam metu inferens eo stare tenetur, quòd Jura deceptis tantum, & læsis, non etiam decipientibus, vel lædentibus subveniant, c. universorum 8. de rer. permut. & l. ex primo 2. §. sed ita 3. ff. ad S. C. Vellejan. 3. ratione; quia consensus ex parte metum inferentis fuit absolutus, & sufficiens ad ipsum ex sua parte obligandum, dummodo ex sua etiam parte coactus velit. igitur hoc postea liberè, ac spontè volente, is, qui metum intulit, Matrimonium inire tenebitur.

Verum his non obstantibus, dicitur 424  
 dum, quòd metu inferens tali casu per se loquendo non teneatur inire Matrimonium, etiam postea cum eo illud velit contrahere metu passus. Ita Sanch. l. 4. de Matr. D. 15. n. 5. Hurtad. de Matr. D. 6. n. 16. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 5. n. 2. §. id verò. Perez scilicet. 12. à n. 5. Wiest, hic n. 254. qui proinde metu inferenti liberam permittunt facultatem resiliendi à tali Contractu, etiam altera parte invita. Ratio est; quia non apparet, unde oriatur ea obligatio: non enim 1. oritur ex Contractu; nam præterquam quòd ita metu initus jure positivo sit irritus, simul ex natura sua reciprocus est, ita, ut includat tacitam conditionem, Accipio te in meam, si vicissim me accipias in tuam. igitur claudicare non potest, & unum obligare ad individuum vitæ societatem, nisi ad eam obligetur alter. Non 2. ex consensu; quia, ut modò dictum est, consensus iste ex parte cogentis non fuit absolutus, sed tacite conditionatus: ac proinde hoc ipso, quòd ex parte unius fuerit nullus, ex parte alterius quoque deficit, & nullam obligationem inducit. Non 3. ex injuria; quia ista ferè tollitur ipsa Matrimonij coacti dissolutione, & metus illati punitione. Non 4. ex delicto in pœnam coactionis; quia hoc exigere Judicis condemnationem, ante quam nullus tenetur subire pœnam. Non denique 5. ex Jure positivo; quia nullum extat hujusmodi Jus positivum, quòd metu inferentem obliget ad nuptias contrahendas cum metu passio.

Addit autem in Responsione per §. 426  
 loquendo; quia casu, quo metu passio grave, & aliter, quàm per conjugium irreparabile damnum illatum fuisset, metu inferens ad Matrimonium validandum teneretur, & Judiciali etiam autoritate cogendus esset; nam id æquitas, & ratio naturalis poscit, ut rectè observat Perez l. cit. n. 7. & P. Wiestner n. 255. qui optimè addit, idem dicendum in omnibus ijs casibus, quibus, ut plerumque solet, Matrimonium metu initum præcessissent Sponsalia; cum enim hæc, ut n. 427. dicitur, valida sint, etiam metu extorta sint, & rescindi solum ad instantiam metum passi possint, eo casu metu inferens, si ita metu passus velit, obligabitur Matrimonium validare, non quidem ratione Contractus Matrimonialis metu extorti, sed ratione Sponsalium præcedentium, quæ per Matrimonium subsequens metu extorium non tolluntur.

Argumenta in contrarium allata m. 425  
 gis sunt speciosa, quàm efficaci. Ad 1. Negatur paritas cum textu c. propositum cit. nam eo casu recessus à muliere non fuit permissus viro ob triplicem rationem. 1. ob fidem Matrimonij, ligaminis impedimentum ignorantiam datam, & bona fide acceptam. 2. ob præjudicium mulieris  
 gra.



gravissimum, & aliter, quam per Matrimonium non reparabile, quippe quæ ipsi, tanquam legitimo marito suo, cohabitavit. 3. in pœnam dolosæ deceptionis. Harum autem causarum nulla pugnat in nostro casu: non prima; quia Impedimentum metus utriusque notum est: non secunda; quia nostra resolutio solum procedit casu, quo damnum inde acceptum aliter reparari non potest: non tertia; quia pœnales dispositiones de casu ad casum Jure non expressum extendi non debent. Ad 2. iterum negatur paritas: nam Matrimonium metu extortum Jure Ecclesiastico est irritatum; ceteri verò Contractus metu initi Jure subsistunt: & hinc claudicare possunt, seu ex una parte habere obligationem efficacem, inefficacem ex altera; quia per Exceptionem elidi potest. Ad 3. patet ex dictis; negatur enim, quòd etiam consensus metum inferentis absolutus fuerit, cum tacitam conditionem habeat, *Accipio te in meam, si vicissim me accipias in tuam.*

326. **Quæritur 10.** An valida sint Sponsalia metu extorta? Negant Abb. in c. ex litteris 11. de despons. impub. n. 2. Anchar. in c. veniens 15. h. tit. n. 6. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. S. 5. n. 1. Azor p. 1. l. 1. c. 11. q. 7. cas. 1. Sal. tr. 3. D. 3. sect. 1. n. 27. Sanch. l. 4. de matr. D. 19. n. 3. Gutier. c. 76. de matr. n. 42. Petr. Barbof. ad Rubr. ff. solut. matr. p. 4. n. 30. Aug. Barbof. in c. ex litteris cit. n. 4. Reginald. l. 31. n. 38. Laym. l. 3. tr. 4. c. 6. n. 5. 7. secundo, Bonacin. q. 3. p. 8. n. 21. Dian. p. 3. tr. 4. ref. 278. Tambur. in Decal. l. 3. c. 3. §. 5. n. 14. Cardin. de Lug. D. 22. de Just. sect. 6. Zoel. bic. 77. König de eo, qui duxit Sc. n. 23. 7. porro, Sporer de matr. n. 43. *Wex. Ariadu. p. 5. tr. 2. p. 2. contr. 1. n. 2. §. seqq. Magnif. P. Schmier p. 3. de Imped. matr. c. 4. n. 44. §. seqq. Fundantur 1. textu c. ex litteris cit. ubi puella duodennis impuberi desponsata, & in istius domum traducta, recedere, & alteri nubere permissa est, quòd minis parentum ad id impulsus fuerit; non fuisset autem permissa recedere, & alteri nubere, si Sponsalia, ita metu parentum contracta, fuissent valida, ergo &c. 2. Juris dispositio de Matrimonio trahitur ad Sponsalia, cum de his aliud Jure non est expressum juxta l. Oratio 16. ff. de Sponsal. igitur sicut Matrimonium, ita & Sponsalia metu extorta viribus, & valore carent. 3. dari non potest obligatio ad actum Jure nullum, ut patet ex terminis. atqui Sponsalia metu extorta, si valent, obligarent ad actum Jure nullum, videlicet ad Matrimonium metu contrahendum. 4. metus iste, quo extorquentur Sponsalia, etiam influeret in ipsum Matrimonium; nam quidquid influit in obligationem tanquam radicem, influit consequenter in objectum, & effectum, illius obliga-*

tionis, atqui metus influeret in obligationem præviam ex sponsalibus ortam, ergo &c. 5. licet concedatur, quòd alia Vota simplicia, metu gravi extorta, sint valida, Votum tamen Religionis ingrediendæ, simili metu extortum, invalidum est, quia est via ad Professionem Religiosam, quæ metu extorta, invalida est. atqui etiam Sponsalia sunt via ad Matrimonium, ergo &c.

Sed melius dicitur hujusmodi Sponsalia, quamvis rescindi possint, tamen valida esse. Ita Sylv. V. Sponsalia q. 6. in fin. Petr. de Ledem. de matr. q. 47. art. 3. circa 3. arg. dub. 3. Henriq. l. 11. c. 9. n. 6. Ochagav. tr. de matr. q. 33. n. 2. Tann. D. 3. de matr. q. 1. n. 14. Less. l. 2. de Just. c. 17. n. 37. Conink D. 25. dub. 1. n. 7. Pal. tr. 2. D. 1. p. 9. n. 3. Perez D. 10. sect. 3. à n. 4. Henr. Mayr de Sponsal. n. 132. Pirh. bic. n. 21. Wiest. n. 257. *§. seqq. Ratio est 1. quia si irrita essent Sponsalia metu extorta, irritata essent vel Jure naturali, vel positivo non naturali; quia hoc præcisè spectato, etiam matrimonium metu extortum valet, cum illud juxta dicta n. 406. Jure solum Ecclesiastico sit irritatum. Non etiam positivo; quia nullum hujusmodi Jus ea irritans extat, neque adducitur aliquid ab Adversarijs, præter c. ex litteris cit. ex quo tamen, ut n. seq. dicitur, nihii probatur. 2. licet valeant Sponsalia hujusmodi metu extorta, tamen satis videtur consultum patienti metum, si possit petere, aut obtinere rescissionem contractus, aut si possit pro arbitrio resilire, cum quoad alios plerisque contractus id satis esse censetur. ergo frustra plus asseritur. 3. Imò patienti metum major favor præstatur, si dicantur valere ejusmodi Sponsalia; quia habebit sibi obligatam partem alteram ad standum Contractu, si postea id desideret metum patiens: cum ergo favendum sit potius metum patienti, rectius dicitur contractum valuisse, sed ita, ut quasi claudicat, & sit in potestate metum patientis vel resilire, vel partem alteram adigere ad implendum Contractum.*

Neque obstant Argumenta allata in contrarium. Ad 1. Pontifex in c. ex litteris cit. non dicit, ea Sponsalia fuisse irrita; imò aperte supponitur ea fuisse valida; quia Pontifex moneri jussit puellam, ut sibi desponsati pueri annum ætatis decimum quartum expectaret, quem expectare non debuisset, si Sponsalia ipso Jure fuissent invalida. Dicunt quidem Sententiæ adversæ Patroni, id fuisse tantum consilij; quia additur, *Si puella commonita - - non duxerit expectandum, et - - accipiendi alium virum liberam tribuendam facultatem.* Verum ex hoc plus non sequitur, quam quòd Sponsalia metu extorta rescindi possint, atque in casu cit. rescissa fuerint. Deinde esto, Pontifex ibi senserit, ea Sponsalia fuisse nulla, talia illa fuerunt, non tam propter metum, quam



quàm propter defectum consensûs in puella ; quia ut ibi cum Gloss. *V. desponsata* advertit Innocentius , dicitur fuisse omnino nolens , non solum cum traduceretur in domum pueri , sed etiam cum eidem desponsaretur. *Ad 2.* imprimis Lex illa merè civilis est , quæ in Sponsalibus , tanquam re Spirituali post elevationem matrimonij ad dignitatem Sacramenti , attendi non debet. Deinde esto , Lex illa canonizata sit , tantum locum habet , quando eadem est ratio Sponsalium , & Matrimonij : quod in proposito Dubio non contingit ; ideo enim Matrimonium metu extortum ex dispositione Ecclesiæ invalidum est , quia aliquando validè contractum nulla humana auctoritate rescindi potest : atqui Sponsalia varijs modis dissolvi possunt. Igitur ratio , quæ pugnat pro invaliditate matrimonij metu extorti , non pugnat pro invaliditate Sponsalium simili metu extortorum. *Ad 3.* Sponsalia , etiam metu extorta , non obligant ad matrimonium contrahendum , dum metus urget , sed tantum , quando isto cessante , illud liberè , & cons. validè iniri potest. Erit igitur obligatio eorum quasi conditio , scilicet *si metus cessaverit* , & hoc stante manebit suspensa , proditura in actum , illo sublato. *Ad 4.* Matrimonium. cessante metu , initum à Sponsalibus metu extortis ferè pendet , sicut Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum à Sponsalibus clam initis. Atqui clandestinitas Sponsalium non obest matrimonio in facie Ecclesiæ contracto. ergo nec metus , quo contracta sunt Sponsalia , obest valori matrimonij deinde cessante metu contracti. *Ad 5.* etiam de Voto ingrediendi Religionem negatur , si metu extortum sit , illud ipso Jure irritum esse , cum nullus textus Juris extet , quo irritetur , vel irritum declaretur , & à Constitutione , quâ Professio metu extorta irritatur , tanquam restringente Jus naturale , ad Votum ingrediendi Religionem duci Argumentum non debeat.

429 **Quæritur II.** an audienda sit mulier , dicens , se in Matrimonium consensisse metu gravi injustè illato ? *1.* audiendam , si hoc probare velit ; cum enim ejus illatio quid facti , & delictum sit , hæc autem non præsumantur , probanda erit ab allegante. Debet autem probare non tantum metum , sed etiam illius qualitatem , videlicet , quòd talis fuerit , qui possit cadere in constantem virum , ut colligitur ex *c. consultationi 28. h. tit.* Circa modum probandi metum consulendi sunt Menoch. *l. 3. præsumpt. 4. per totam* & Mascard. *de probat. concl. 1055. § seqq.* Præcipuus est , qui fit per testes : quorum si duo omni exceptione majores de metu deponunt , juxta Innoc. *c. super hoc de renunt. n. 2.* iisdem magis creditur , quàm mille testantibus spontaneam voluntatem : & ratio est ; quia qui deponunt de metu , id

B. P. Schmalzgrueber *L. IV.*

quod afferunt , potuerunt corporeo aliquo sensu percipere ; qui autem testantur spontaneam voluntatem , cum res in anima sit recondita , non potuerunt sensu percipere.

Duplicem tamen hæc Regula excep-  
tionem patitur. **1.** nisi pro deponentibus de spontanea voluntate adessent præsumptiones , & conjecturæ , ut si actus est in præsentia Judicis , vel coram consanguineis ; nam in horum præsentia non præsumitur metus : & hinc existente tali præsumptione , vel conjectura de libera voluntate , Judex arbitrabitur , quibus testibus major fides sit adhibeanda. Sanch. *l. 4. de matr. D. 27. n. 2.* **2.** si testificatio negantium intervenisse metum sit negativa coarctata loco , & tempore ; tunc enim æquè creditur affirmantibus , sicut negantibus , cum utroque casu id , quod deponunt , per media externa probari possit : hinc iterum arbitrio Judicis relinquendum erit , cuiam parti , pensatis circumstantijs , magis credendum sit. Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 5. n. 10.* Ant. Cuch. *l. 5. Instit. major tit. 12. n. 167. § 168.* Sanch. *l. cit. n. 3.*

Porro tum requiritur , ut metus annullans Matrimonium cadat in virum constantem , & hoc à metum allegante probeatur , non ita accipiendum id est , quasi æquè gravis requiratur metus in muliere , qui in viro ; nam cum hic sit fortior , & constantior , mulier verò naturâ suâ sit inconstantior , & debilior , ideo minor metus excusat fæminam , quàm masculinum , sive minor metus censetur gravis in fæmina , qui non censeretur gravis in viro , ut tradit Gloss. *in c. cum locum 14. V. metus h. tit.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 4. n. 9.* Sanch. *l. 4. D. 3. n. 2.* Pirh. *hic n. 115.* Neque obstat , quòd *c. cum locum cit.* legatur , *In virum constantem* ; quia subintelligendum , *Vel in mulierem constantem* , habito respectu ad debilitatem sexum. Abb. *ibid. not. 4.* Vel certè sub nomine viri comprehenditur hic etiam fæmina ; quia genus masculinum concipit fæmininum , ut absurdum vitetur. Canif. *in c. 28. cit. n. 2.* Fagnan. *ibid. n. 13. § 14.* Pirh. *l. cit. qui cum Glossa in c. 6. V. metum passus de his , quæ vi metusve causa ,* & Covar. *l. cit. n. 8.* advertit optimè , generaliter loquendo , quisnam metus dicatur cadere in constantem virum , relinquendum esse arbitrio Judicis.

Quodsi , consideratis omnibus , du-  
bium sit , utrum metus , injustè ad Matrimonium contrahendum incussus , gravis sit censendus , an non , adeoque utrum matrimonium irritum , an validum sit , judicandum pro valore matrimonij , ut alijs *cit.* advertit Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 5. n. 4.* quia licet maximopere curandum sit , ut Matrimonium : in perpetua conjunctione consistens , libera voluntate contrahatur , ideoque

Spon-



Sponsalia, si quocunque etiam leviori metu, per vim extrinsecam incusso, celebrata sint, facile dissolvi possint seu propria metum patientis opposita Exceptione, seu Judicis implorata auctoritate, postquam tamen semel Matrimonium contractum est, potius est, ut validum, quam ut invalidum judicetur, cum Matrimonij causa favorabilis sit, idque partim propter reverentiam Sacramenti arg. c. licet 47. in fin. de testib.

ibi, *Tolerabilis est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra Statuta Domini separare*; partim quia Reip. & prolis educanda interest, ut Matrimonia non solvantur, nisi eorum infirmitas, seu impedimentum dirimens appareat. Accedit, quod postquam contractus celebratus est, possessio, seu potius praesumptio stet pro ejus valore, nisi contrarium ostendatur.

## §. III.

## De Impedimento erroris.

## S U M M A R I U M.

433. Quid sit error?  
 434. Quotupliciter in Contractu Matrimonij possit contingere?  
 435. Quot modis contingere possit Error circa qualitatem?  
 436. Utrum error aliquis dirimat Matrimonium?  
 437. Conclusio affirmativa certa est.  
 438. Solvuntur Objectiones.  
 439. Utrum error quoad substantiam personae invalidum reddat Matrimonium?  
 440. Resolvitur affirmativa.  
 441. Corollaria.  
 442. Respondetur ad Argumenta opposita.  
 443. An solum Error circa substantiam personae antecedens valorem Matrimonij tollat?  
 444. An etiam Concomitans?  
 445. An Error circa qualitatem vitiet Matrimonium, quando is redundat in substantiam personae?  
 445. Quid, quando non redundat in illam? Rationes dubitandi.
447. Respondetur non vitiare.  
 448. Nisi cum qualitati hujusmodi alligatus consensus.  
 449. Solvuntur Argumenta opposita.  
 450. 451. Quando error qualitatis involvat errorem personae?  
 452. 453. 454. Pro Corollario deducitur solutio casus.  
 455. 456. 457. An validum sit Matrimonium, si uterque vel alter contrahentium per errorem credat se laborare Impedimento dirimente, quod revera non subest.  
 458. 459. 460. An casu, quo, aliqui per errorem contraxerunt Matrimonium invalide, convalescat illud, si stante errore, denuo consentiant?  
 461. An ut eo casu convalidetur, necessarium sit, utranque conjugem conscium esse Impedimenti, ob quod irritum fuit Matrimonium.

433 **Q**Uaeritur I. quid sit Error & quotupliciter in Contractu Matrimonij possit contingere? si Erroris nomen sumatur strictè, distinguitur ab Ignorantia: hæc enim solâ scientiæ negatione contenta est, cum contra Error judicium positivum intellectus perversum postulet; errare enim est unum pro alio putare, teste D. Aug. Enchir. c. 21. & refertur can. in quibus 6. caus. 22. q. 2. Hic accipitur latè, prout etiam includit ignorantiam, cum in ordine ad inducendum Impedimentum in Matrimonio perinde sit, an ignorantia, an error positivus intervenierit. Dicitur tamen potius Error, quam Ignorantia dirimere Matrimonium; quia nunquam contingit ignorantia, quæ voluntarium consensum auferat, nisi cum errore conjuncta sit, quod actus voluntatis præsupponat cognitionem rei, in quam fertur, quæ si vera sit, jam actus est voluntarius, si autem falsa, sit involuntarius, cujus proxima causa est error, ignorantia verò solum, in quantum habet admixtum errorem. Vide Sanch. l. 7. de matr. D. 18. n. 2.

Potest autem Error in Contractu<sup>434</sup> Connubiali contingere dupliciter, scilicet vel circa substantiam, ut loquuntur, aut individuum personae, cum qua Matrimonium initur, vel circa qualitatem, & accidentia ejusdem. *Primum* fit, quando Titius contrahere volens cum Bertha, Matrimonium init cum Caja, per errorem existimans esse Bertham. *Secundum*, quando credit se contrahere cum pulchra, nobili, virgine, divite, cum sit deformis, plebeja, corrupta, pauper. Uterque error vel est Antecedens, vel Concomitans actum. *Antecedens* tunc dicitur, quando dat causam Contractui, ita, ut eo non existente, actus nequaquam fieret, atque ita efficitur ut actus sit in voluntarius, cum nihil sit volitum, nisi præcognitum. *Concomitans* tunc censetur, quando non inducit ad contrahendum, sed ita comitatur actum, ut eo non existente, adhuc fieret actus: proinde non efficit involuntarium, sed efficit tamen non voluntarium.

Præterea Error circa qualitatem ali<sup>435</sup> quan-



quando redundat in substantiam, & individuum personæ, aliquando non. *Primum* contingit, quando qualitas, circa quam ille versatur, est omnino singularis, & certum individuum denotans, e. g. quod is, cum quo Matrimonium initur, sit certi Regis filius, aut filia primogenita; vel cum qualitas aliqua est unicus finis Matrimonij cum aliqua contrahendi, ita, ut hoc unice eligatur, tanquam medium ad finem, seu qualitatem illam obtinendam, quod persona, cum qua Matrimonium initur, illa prædita esse iudicetur, v. g. si Juvenis opibus pollens, sed non nobilis ad familiam suam aliunde adscito splendore ornandam, & attollendam affinitatem cum Illustribus familijs quarat, & unice eo fine inducatur ad contrahendum Matrimonium cum puella, quæ se Illustri sanguine procreatam dolose mentitur: cujusmodi muliebris imposturæ illustre exemplum ex Caramuele refert Gobat *Theol. Exper. tr. 9. n. 114.* Secundum evenit, quando Titius contrahit Matrimonium cum Bertha, cum errore quidem, quod eam nobilitate, opibus, formâ, modestiâ, aut alia dote præstare existimârit, ita tamen, ut his qualitatibus consensum suum non alligârit.

436 **Quæritur 2. utrum Error aliquis dirimat Matrimonium?** Videtur non dirimere. 1. quia Matrimonium, contractum sub conditione impossibili, valet, ut patet ex c. *fin. de condit. apposi.* ergo etiam validum erit contractum errore; si enim non valeret errore contractum, ideo non valeret, quia consensus deficit in errante, atqui consensus deficit etiam in eo, qui contrahit, sub conditione impossibili; non enim aliter consentit, quam si evenerit conditio: cum igitur conditio impossibilis per rerum naturam evenire non possit, sub ea contrahens revera non consentit. 2. *veniens 15. & c. is qui fidem 30. b. tit.* pronuntiatur pro valore conjugij in eo, qui Sponsam de futuro carnaliter cognovit, licet ille probare velit, se in conjugium non consensisse, imò dissensisse, ergo defectus consensus, qui ex errore arguitur, non vitiat Matrimonium.

437 Sed his non obstantibus, est certa omnium sententia, quod error Matrimonium dirimat, & illius valori obstat. *Ratio est;* quia ad valorem Matrimonij necessariò requiritur consensus, ut constat ex *can. sufficit 2. caus. 27. q. 2. c. cum locum 14. & c. tue 25. b. tit.* Florent. in *Decret. Fid. de Sacram. S. septimum, Trid. sess. 24. c. 1. de reform. matr.* atqui errantis nullus est consensus, nec voluntas *l. cum testamentum 8. & l. non idcirco 9. C. de Jur. & fact. ignor. ex- go &c.*

438 Neque contrarium probant Argumenta assumpta ex textibus in contrarium allegatis. *Ad 1. ut infra Tit. 5. dicitur, in c. fin. cit. pro valido habetur Matrimonium* B. P. Schmalzgrueber L. IV.

contractum sub conditione impossibili, tum solum, quando dubium est, an serio, vel joco adjecta sit, tum enim ob favorem Matrimonij præsumitur intervenisse consensus absolutus, & conditio impossibilis reputatur pro non adjecta. Secus dicendum, quando constat, quod contrahens hujusmodi conditioni alligaverit consensum suum, tunc enim Matrimonium erit invalidum ex defectu consensus: unde ex hoc Argumento potius confirmatur nostra sententia. *Ad 2. in textibus ibi cit. præsumitur legitimus consensus in Matrimonium ex carnali commercio ad excludendum peccatum fornicationis: & hinc si revera ineatur talis copula animo fornicario, neque ante Trid. (de quo tempore tantum dispositio illorum textuum procedit) censendum est contractum fuisse Matrimonium; quia præsumptio veritati cedit.*

**Quæritur 3. utrum error quoad substantiam personæ invalidum reddat Matrimonium?** Difficilem resolutionem, alias indubiam, faciunt argumenta aliqua, quæ in oppositum afferri possunt. Nam 1. si error personæ obstatet valori Matrimonij, tunc Jacob Patriarcha, quando concubuit cum Lia, pro Rachele sibi à Labano suppositâ, fuisset fornicarius, & Lia adulterij simul, atque incestus rea, sequela admitti convenienter non potest, ergo &c. 2. quando *Gen. 27.* Isaac benedixit Jacob, existimans illum esse Esau, contigit error personæ, & tamen valida fuit ea Benedictio secundum verba ipsius Isaac *v. 34. ibi, Benedixique ei, & erit benedictus.* 3. in cæteris Sacramentis valori error personæ non obstat; nam Baptismus, Confirmatio, Sacramentalis absolutio &c. valide conferuntur, quantumvis Sacramenti Minister circa baptizati, confirmati, absoluti &c. personam erret, & Cæcus sit, quem ille existimat esse Titium. 4. Emptio Venditio, & cæteri contractus regulariter celebrantur validè, quamvis Venditor in persona Emptoris erret, & putet esse Sempronium, qui tamen est Mævius; vel etiam circa rem venditam Emptorem decipiat Venditor, & dicat fericum, quod vendit, esse Indicum, cum tamen sit Europæum, modò utrumque sit æquè bonum, ac utile.

Sed indubitata est resolutio, quod error quoad substantiam personæ Matrimonium reddat invalidum. Ita S. Thom. in *4. dist. 30. q. 1. art. 2.* Paludan. *ibid. art. 1. n. 5.* Rosell. *V. Impedimentum Imped. 2. princ. Sylv. V. Matrimonium 6. q. 1. 7. error personæ, Brunell. de Sponsal. concl. 32. n. 2. Henriq. l. 11. de matr. c. 10. n. 3. & l. 12. c. 4. n. 1. Suar. in 3. p. tom. 3. D. 13. sed. 4. ad fin. Sanch. l. 7. de matr. D. 18. n. 12. Gutier. c. 89. de matr. n. 1. Conink D. 31. dub. 1. n. 9. Hurtad. D. 13. difficult. 1. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. n. 1. Pal. tr. 28. D. 4. N 2 p. 4.*



p. 4. n. 1. Engl. hic S. 4. n. 2. Pirh. n. 160. Wiest. n. 207. Magnific. P. Schmier. p. 3. de Imped. matr. c. 2. n. 166. & habetur expressè *can. un. caus. 29. q. 1. ibi*, Error personæ -- conjugij consensus non admittit. Ratio est; quia error circa substantiam, seu substantiale objectum vitiat Contractum. sed persona determinatè cognita contrahenti est substantiale objectum Contractus Matrimonialis. ergo error circa illam vitiat Matrimonium.

441 Ex quo sequitur 1. tale Matrimonium esse irritum ipso Jure naturæ, ut DD. *citt. observant*: quia sicut sine consensu, ita sine consensu in certam personam non habetur conjugium. atqui errans in persona non consentit in personam, cum qua per errorem contrahit; quia totus ejus consensus fertur in personam abentem, quam per errorem existimat esse præsentem, non autem fertur in eam, quæ revera præsens est, igitur cum ista conjugium ex defectu consensus revera non datur; nam actus agentium non operantur ultra intentionem illorum. Sequitur 2. id Impedimentum afficere etiam Infideles, si Matrimonium contrahant cum errore personæ; quia etiam inter ipsos Matrimonia, cum impedimento Juris naturalis contracta, non valent, tale autem secundum dicta est Impedimentum erroris circa substantiam personæ Sanch. l. *cit. n. 14.* Sequitur 3. non posse Ecclesiam statuire, ne error personæ dirimat Matrimonium; quia nequit efficere, ut absque consensu Matrimonium consistat, quem error personæ tollit. Sanch. n. 15. & apud hunc *citt.*

442 Neque aliud evincunt Argumenta opposita. Ad 1. ut *c. un. cit.* non malè declaratur, inter Jacob. Patriarcham, & Liam verum conjugium non intercessisset, nisi cognito errore consensus in individuam vitæ societatem cum illa fuisset subsecutus. Neque tamen propterea fornicarius Patriarcha fuit; quia ipsum excusavit ignorantia, & affectus conjugalis. Liam quidem adulterij, & incestus ream existimat Cornelius à Lapide in *Gen. c. 29. v. 24.* sed ab utroque illam absolvit S. Thom. in 4. *dist. 30. q. 1. art. 1. ad 4.* Ytella in *Gen. c. cit. n. 17.* Perez D. 24. *sect. 1. n. 18.* quòd lege Primogenitarum, & paternis imperijs se illi legitime copulatam existimavit; quia natu majorem primò nuptui tradi illius temporis consuetudine receptum fuit. Ad 2. Benedictio illa ab Isaaco directa fuit vel in personam filij præsentis, ut vult Abulens. in *c. 27. Gen. q. 7.* vel ut alij, in personam primogeniti, qualis jam post empta primogenita fuit Jacob; aut si directa fuit in ipsam personam Elau, invalida fuit ob errorem personæ, sed sortita valorem ex confirmatione illius postea facta, quòd Divina inspiratione intellexerit Isaac, eam fuisse Divinam volun-

tatem, ut D. August. l. 6. de *Civit. e. 393 in fin.* Theodoret. q. 79. in *Gen. Andreas Mafius ad verba Jos. 9. Et non percusserunt eos*, cum alijs notant. Ad 3. Negatur paritas; nam in administratione Baptismi, Confirmationis, Poenitentia, & aliorum Sacramentorum non spectatur hæc, vel illa persona, sed ferè solum ea, quæ præsens est, qualiscunque illa sit: & ratio est; quia baptizantis, confirmantis, absolventis &c. & ipsorum etiam Sacramentorum non interest, qualis sit persona, quæ baptizatur &c. modò ritè disposita sit. At in Matrimonio plurimum interest contrahentis, cum qua persona contrahat, cum Matrimonium ineundo se cum illa ad individuam vitæ societatem obliget. Ad 4. Iterum venditoris parum interest, quæ sit persona emptoris, & hujus, quæ sit persona venditoris, & utriusque, unde sit merx, modò æquè bona, ac utilis sit, prout desideratur: & ratio est; quia in Justitia commutativa, ad quam ceteri contractus, qui onerosi sunt, ut Emptionis Venditionis, pertinent, sola ferè æqualitas inter datum, & acceptum, mercem, & pretium attendi solet.

Dubitatur qualis error circa substantiam personæ valorem Matrimonij tollat, an antecedens solum, an verò etiam concomitans? 2. Uterque. De antecedente ostenditur; quia talis error dat causam contractui, ita, ut si quis non errasset in persona, nolisset cum tali contrahere, adeoque facit contractum Matrimonij involuntarium circa primarium, & substantiale illius objectum, quod est persona determinata, electa à contrahente, & per consequens talis error facit irritum etiam ipsum contractum.

De errore Concomitante major est difficultas; quia etiam stante ejusmodi errore, potest aliquis esse ita habitualiter affectus, ut licet non erraret, sed sciret esse aliam personam, quam putabat, adhuc tamen contrahere cum ea vellet: conf. error iste non facit contractum involuntarium.

Sed etsi hoc verum sit, dicendum tamen, quòd etiam error concomitans valorem contractui Matrimoniali tollat. Ita Veracruz p. 1. *Specul. art. 28. ad fin. S. circa hoc impedimentum*, Barth à Ledefm. de *matr. dub. 30. concl. 2.* Petr. de Ledefm. de *matr. q. 51. art. 2. dub. 2. concl. un. in fin. 1. rationis*, Sanch. l. 7. de *matr. D. 18. n. 6.* Laym. l. 5. *tr. 10. p. 4. c. 2. n. 1. q. ampliar.* Ratio est; quia ut Matrimonium legitimum sit, necessarius est consensus actualis, & positivus in personam, quæ offertur. Error autem concomitans, licet non efficiat actum involuntarium, facit tamen non voluntarium, & aufert consensum actualem, & positivum; nam voluntas cum tali errore de præsentem solum fertur in absentem, quam per errorem præsentem putat,



est, non verò in illam, quæ præsens re-  
vera est. Igitur cum errantis, & non cog-  
noscentis nullus sit consensus, nullum etiam  
Matrimonium erit hoc casu.

Et hoc verum est, etiamsi contra-  
hens tempore initi Contractûs Matrimonia-  
lis diceret, *Ducerem, si nōssē hanc esse Ber-  
tham*; quia non voluntas, quæ esset, sed  
quæ est, constituit Matrimonium, ut bene  
Sanch, *l. cit.* Aliud foret, si errans actu in-  
tenderet cum persona præsentem contrahere,  
quæcunque illa sit, tunc enim validum foret,  
utpote contrahente verè in personam  
illam consentiente.

445 Quæritur 4. an Matrimonij valori  
obstet error quoad qualitatem? *1.* Distinguen-  
do: Vel enim error iste talis est, ut  
involvat simul errorem personæ, vel talis  
solum, qui in substantiam, sive individuum  
personæ non redundat. *Si primum*, Matrimo-  
nium eo errore redditur invalidum: &  
conf. nullum est Matrimonium, quod Caja  
inire vult cum certi Regis, aut Principis  
primogenito, si ab ea per errorem contra-  
ctum sit cum secundo, vel tertio-genito:  
item nullum est, quod Titius per errorem  
contrahit cum ignobili, volens solum inire  
matrimonium cum puella illustri. Ita S.  
Thom. *1. p. q. 29. art. 1.* Sanch. *l. 7. de matr.*  
*D. 18. n. 23.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. n.*  
*2. §. limitari*, Pal. *tr. 28. D. 4. p. 4. n. 5.*  
Caramuel *Fundam. Theol. Fund. 70 §. 2.* Go-  
bat *Theol. Exper. tr. 9. n. 114.* Engl *hic §.*  
*4. n. 2. §. 3.* Pirh. *n. 163.* Wiest. *n. 214.*  
Ratio est; quia in his casibus desideratur le-  
gitimus consensus; hic enim non fereba-  
tur in personam, nisi ut præditam qualitate  
Primogenituræ, aut Nobilitatis, ad quam  
obtinendam Matrimonium tanquam medium  
unicè electum fuit.

446 *Si secundum*, major est difficultas;  
nam 1. conjugia, metu gravi injustè incusso  
inita, ut *supra n. 386.* & *seqq.* dictum est,  
sunt ipso Jure irrita. Atqui metus non ma-  
gis obstat voluntario, & libero consensui,  
quàm error, & dolus. Ergo etiam iste, li-  
cèt circa substantiam personæ non sit, mat-  
rimonij valorem tollit. 2. Sponsalia, imò  
& alij bonæ fidei contractus, quibus do-  
lus, indèque ortus error causam dedit,  
vel irriti sunt ipso Jure, vel saltem rescissio-  
ni obnoxij. Igitur cum Matrimonium er-  
rore initum, si semel validum sit, rescindi  
nequeat, dici debet, quòd invalidum sit.  
3. Error qualitatis in Eleemofyna vitiat Ele-  
mofynam; nam si Titio dones, quia pau-  
perem existimabas, non valet donatio, si  
ipse dives sit. Igitur nec valebit Matrimo-  
nium contractum cum Bertha, quam existi-  
mabas esse divitem, si ipsa sit pauper.

447 Sed his non obstantibus, dicendum,  
quòd error circa qualitatem personæ, eti-  
det causam Contractui, & proveniat ex do-  
lo alterius contrahentis, modò in substan-

tiam, sive individuum personæ non redun-  
det, per se non irritet Matrimonium. Ita  
Gloss. *in c. cum dilectus 6. V. ad facultatem de*  
*his, quæ vi metusve causâ* &c. Abb. *ibid. n.*  
*13.* Sylv. *V. Matrimonium 8. q. 1. fin.* Sor. *in*  
*4. dist. 35. q. un. art. 2. colum. 4. §. ad hæc.*  
Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 7. n. 3.* &  
*l. 1. var. c. 5. n. 1.* Molin. *tr. 2. de Just.*  
*D. 352. n. 5.* Barth. à Ledesim. *de matr. dub.*  
*30. concl. 3.* Petr. de Ledesim. *de matr. q.*  
*51. art. 2. dub. 3. paulò ante concl. 2.* Valent.  
*2. 2. D. 52. q. 20. p. 4. §. 2.* Sanch. *l. 7.*  
*de matr. D. 18. n. 18.* Gutier. *c. 89. de matr.*  
*n. 11.* Coninck *D. 31. dub. 1. n. 11.* Laym.  
*l. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. n. 2.* Pal. *tr. 28. D. 4.*  
*p. 4. n. 3.* Engl *hic §. 4. n. 2.* Pirh. *n. 162.*  
Wiest. *n. 215.* & sumitur ex *c. cum in Apo-*  
*stolica 18. b. t.* ubi pro valido habetur con-  
jugium, cui dolosum mendacium, & sub-  
reptio causam dedit. Ratio est; quia talis  
error non tollit consensum in personam, ad  
valorem matrimonij requisitum, nec facit  
Matrimonium invalidum simpliciter, sed  
tantum secundum quid, nempe circa quali-  
tates, & accidentia personæ, cum qua con-  
trahitur, quæ se habent solum per modum  
rationis motivæ, seu impulsivæ, & causæ  
finalis extrinsecæ. Conf. quia si talis error  
matrimonium vitaret, plurima Matrimonia,  
magno prolium, maximo Reip. damno, &  
scandalo publico, dissolverentur, cum sæ-  
pius interveniat error circa qualitatem in  
matrimoniali contractu. Proceditque hoc,  
etsi aliquis sit ita dispositus, ut tamen sciret,  
non esse divitem v. g. nullo modo cum illa  
contraheret; quia talis dissensus habitualis  
ad invalidandum Matrimonium non sufficit,  
cum adhuc consistere possit cum actuali  
consensu in personam. Engl *§. 4. cit. n. 4.*

Dixi autem in Responsione per se 348  
per accidens enim etiam error qualitatis,  
in individuum personæ non redundantis,  
irritum facere matrimonium potest, si vi-  
delicet qualitatis existentia alligaretur in-  
tentio contrahentis, ita, ut actu intendat  
non contrahere, nisi talis qualitas in sit per-  
sonæ, cum qua contrahitur e. g. nisi Spon-  
sa sit Virgo, nobilis, opulenta &c. Ita D.  
Bonavent. *in 4. dist. 30. in Exposit. Litter. n.*  
*4.* Paludan. *ibid. q. 1. art. 2. n. 9. concl. 2. §.*  
Antonin. *3. p. tit. 1. c. 2. fin.* Barth. à Ledesim.  
*concl. 3. cit.* Sanch. *n. 21.* Gutier. *n. 6.* Co-  
nink *n. 11.* Laym. *n. 2. §. limitari*, Pal. *n.*  
*5.* Engl *n. 2.* Pirh. *n. 163.* Wiest. *n. 219.*  
Ratio clara est; quia tunc deficiente ejus-  
modi qualitate, deficeret conditio, sub qua  
contractum est Matrimonium, & conf. de-  
ficeret ipse consensus.

Responsionem sic limitatam non 449  
convellunt Argumenta opposita, *Ad 1.* ne-  
gatur paritas; nam imprimis metus minuit  
voluntarium circa substantiam personæ, non  
etiam dolus, & error circa ejusmodi quali-  
tates eveniens, Perez *D. 24. sect. 3. n. 16.*



Deinde metus multò faciliùs probatur, quàm dolus: & hinc ad cavendas multas difficultates, & lites Judiciales Ecclesia non irritavit Matrimonia, dolo, vel errore contracta, si error iste in substantiam personæ non redundet, & qualitati, circa quam error contigit, non sit alligatus consensus, Laym, l. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. n. 2. Ad 2. iterum negatur paritas; quia præterquam quòd Sponsalia, & cæteri contractus sint naturâ suâ solubiles, matrimonium verò insolubile, ex illorum irritatione tam gravia mala, & scandala non sequuntur, quàm afferret irritatio matrimonij, errore circa qualitatem in personæ substantiam non redundantem contracti. Pal. tr. 28. D. 4. p. 4. n. 4. Ad 3. quidquid sit de veritate illius Antecedentis (non enim minima est difficultas) si verum illud est, ideo verum est; quia cum Eleemosyna sit sublevatio miseræ alienæ, error contigit circa substantiam, cum sublevari non possit miseria, quæ nulla datur.

450. Queritur 5. quando error qualitatis involvat errorem personæ? n. In hac maximi momenti quaestione DD. ita loquuntur variè, ut non pauci, dum extricare Lectorem volunt ex difficultate ista, eundem intricent magis, ut notat Clericat. de Sac. matr. decis. 19. n. 27. Communius cum Sanch. l. 7. de matr. D. 18. n. 26. & 27. duas proponunt Regulas.

*Prima est*: quoties qualitas, in qua erratur, non determinat individuum personam, non est error personæ, sed potius qualitatis, ut si quis fingat se esse primogenitum Regis, non determinando, cujus Regis primogenitus sit, fæmina ex tali errore illi nubens, dicitur errare circa solam qualitatem, ac proinde Matrimonium, eo errore non obstante, erit validum. Rationem dat Sanchez n. 26. cit. quia teste Boëtio, quem refert, & sequitur S. Thom. 1. p. q. 29. art. 1. in Corp. & ad 1. persona est intellectualis naturæ individua substantia. Igitur error personæ debet esse circa quid individuum: in casu autem Regulæ non erratur circa quid individuum; quia tantum erratur circa qualitatem Primogenituræ in genere apprehensam. Ergo non continget error circa personam. Et hinc fæmina cum tali errore contrahens intendet contrahere cum persona præsentem, apprehensam cum eo qualitatis errore.

451. *Secunda*: Si per qualitatem, in qua erratur, certa, & individua persona designetur, animòque concipiatur, quæ visu priùs ignota est, tunc error redundat in substantiam personæ, ut si quis animo consentiat contrahere cum filia primogenita Titij, offeratur autem postea secundogenita, aut alia, quæ primogenitam se esse simulat; tunc enim nullum fit Matrimonium; quia contrahens apprehendit certam, & individuum personam, cum qua hic, & nunc vult con-

trahere, & non cum alia. Secus est, si illa, quæ oblata est, tanquam primogenita, visu priùs nota erat contrahenti, & ad Matrimonium determinata fuisset; tunc enim valebit Matrimonium, etsi per errorem putet illam esse primogenitam Titij, modò non habeat actualem intentionem non accipiendi illam, nisi sit primogenita.

Ex quo idem Sanch. l. cit. n. 35. putat deduci posse resolutionem Casus, quem suo tempore contigisse, & discussum fuisse refert Tabien. V. impedimentum imped. 1. q. 4. n. 5. Quidam duas habebat filias, quarum natu minorem, pulchritudine ejusdem captus, Juvenis in Matrimonium sibi à patre petijt. Pater verò eam denegavit, & obtulit primogenitam, quam Juvenis ille ante non viderat. Hinc petijt illam ostendi cuidam suo amico, à quo ipse de pulchritudine illius certior volebat fieri. Cum iste venisset in domum istarum Virginum, pater, quòd primogenita esset deformis, explorati amico ostendit secundogenitam, Amicus, cum forma puellæ eidem placuisset, putans eam esse primogenitam, de forma istius Juvenem instruit; hic verò eo errore ductus, contraxit cum primogenita, existimans esse eam, quæ amico fuerat exhibitæ; sed ubi in domum ipsius deducta fuit, deceptionem advertit, & doluit. Circa hunc casum dubitatum fuit, num solius qualitatis error esset, ac proinde valeret Matrimonium. Respondit Tabiena, se in ea fuisse sententia, quòd tantum sit error qualitatis, ex ratione; quia hoc casu Juvenis iste non poterat dirigere consensum suum in secundogenitam, utpote quam scivit sibi à patre negatam, & primogenitam solam concessam. Igitur cum direxerit consensum suum in aliquam ex duabus filiabus istius patris, necessariò direxit illum in primogenitam. Si autem in hanc tantum direxit consensum, error circa personam nullus intercessit. Igitur error ille, qui contigit, solum fuit circa qualitatem: quod responsum etiam approbat Sanchez l. cit.

*Major difficultas* fuisset, si secundo-452 genita eidem non fuisset denegata. In quo casu Tabiena putat futurum fuisse errorem personæ. Sanchez verò distinguit: Vel enim oblata alicui ad Matrimonium est filia v. g. Petri speciali aliquâ notâ designata, ut nomine proprio, vel primogenita, aut secundogenita, vel solum genericè aliqua Petri filia. Si primum, etsi pulchritudinem ejus per se, vel per tertiam personam volenti inspicere, ostendatur fæmina pulchrior, & ipse eo errore circumventus ducat fæminam sibi priùs oblatam, non est error personæ, sed solius qualitatis; quia determinatè consensus fertur in fæminam, quæ per specialem illam notam est designata, quamvis cum errore circa qualitatem formæ. Si secundum, esset error personæ; quia eo ca-



su consensus; prius indeterminatus propter oblationem genericè factam alicujus filiae Petri, factus est determinatus per inspectionem propriam, vel tertiæ personæ: & hinc in ostensam duntaxat fertur, & cons. si eidem substituatur alia ejusdem Petri filia, consensus in personam substitutâ deficiet.

454 Dixi, si ostendatur alia ejusdem Petri filia; aliud foret, si ostensa fuisset alterius, quam Petri filia: nam hoc si evenisset, & Juvenis ea pulchritudine fæminæ ostensæ deceptus, contraxisset Matrimonium cum una ex filiabus Petri oblati, non errabit circa personam, sed solum in qualitate pulchritudinis, ut bene Sanch. l. cit. Rationem dat; quia licet consensus contrahentis non fuerit determinatus ad certam filiam Petri, fuit tamen determinatus ad aliquam ex illis ducendam, cum exclusione earum, quæ filia Petri non sunt quem consensum non sustulit error, quod pro filia Petri ostensa fuerit alia. Contraxit ergo cum ea, ad quam prius indeterminatè consensit, & sic in persona non erravit.

455 Quaritur 6. Sine validum Matrimonium, si alter, vel uterque contrahentium per errorem credat, se laborare Impedimento dirimente, quod revera non subest? Negant Abb. in c. cum in Apostolica 18. h. tit. n. 8. Joan. Andr. ibid. n. 9. Alex. de Nevo n. 13. & 14. Sylv. V. Matrimonium 8. q. 13. dist. 5. Navar. Man. c. 22. n. 56. Soti in 4. dist. 37. q. un. art. 5. concl. 3. & alij apud Sanch. l. 2. D. 33. n. 1. Probant 1. ex l. is qui putat 15. ff. de acquir. vel omitt. heredit. ubi Ulpianus dicit, eum, qui putat se necessarium hæredem esse, cum sit voluntarius, non posse repudiare; quia opinio veritati præfertur. Ergo similiter credens se ratione impedimenti, quod falsò esse credit, non posse validè contrahere, non legitimè contrahet. 2. Quia hic erratur circa substantiam Matrimonij, cum conjuges existiment impossibilem sibi esse conjugalem corporum traditionem. 3. Quia is, qui Sacerdos non est, & scit non Sacerdotem consecrare Sacramentum Eucharistiæ non posse, nequit intendere consecrare. Ergo neque is, qui cognoscit se non posse legitimè contrahere Matrimonium, poterit habere veram, ac seriam voluntatem contrahendi, cum nemo possit efficaciter intendere id, quod omnino credit, & concipit impossibile.

456 Sed probabilior videtur affirmativa, quam defendunt Gloss. in c. cum in Apostolica 18. V. remanere h. tit. Tabien. V. Impedimentum Imped. 16. in fin. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 7. n. 3. Barth. à Ledesm. de matr. dub. 52. concl. 3. Petr. de Ledesm. q. 55. art. 9. dub. 2. Henriq. l. 11. de matr. c. 11. n. 5. Sanch. l. 2. de matr. D. 33. n. 2. Gutier. c. 47. de matr. n. 1. juxta quos valet Matrimonium, si contrahentes inten-

dant, quantum in seipsis est, consentire. Ratio est; quia tales personæ ex una parte sunt verè habiles ad contrahendum, cum revera nullo laborent impedimento; ex altera verò parte intendunt, quantum possunt, contrahere. Ergo verè contrahunt. Cons. si verè non possent contrahere, ideo non possent, quia stante hoc errore, non possent habere consensum. Atqui consensus ipsis, etiam hoc errore stante, non est impossibilis: quod probatur 1. ex c. un. b. tit. n. 8. ubi dicitur ex Sponsalibus nullis ratione consanguinitatis, vel alterius impedimenti oriri publicam honestatem, modò adsit consensus. Ergo supponit textus possibilem esse consensum cum impedimento dirimente. 2. Ex Clem. un. de consang. ubi excommunicantur, qui contrahunt scienter in gradu prohibito. non excommunicarentur autem, si non haberent consensum ergo &c. 3. Ex paritate cum Baptismo, in quo error de valore illius composibilis est cum consensu; nam validè baptizat, qui vult facere, quod potest, licet existimet Baptismum esse nugam tantum Christianorum. Igitur etiam validè contrahet Matrimonium, qui vult facere, quantum in seipso; quamvis existimet se ob impedimentum non posse contrahere, & sic cum existimatione impedimenti composibilis erit consensus in Matrimonium.

Neque obstant Argumenta contraria. 457 Ad 1. cum Covar. §. 7. cit. n. 2. responder Sanch. n. 4. in calu l. cit. opinionem præferri veritati, quia ad eum actum necessarium est agentem scire; ex qua causa, & quo Jure eundem actum agat, quod ad Matrimonium non desideratur. Ad 2. retorquetur in alijs Sacramentis, in quibus error circa valorem, modò cætera adsint, non irritat Sacramentum. Ergo idem procedet in Matrimonio. Ad 3. negatur paritas; nam qui non est Sacerdos, non est persona habilis ad consecrandum, sicut tamen habiles revera sunt ad contrahendum matrimonium, qui putant se laborare impedimento dirimente, quod reipsa non subest. Ad id, quod additur, neminem posse efficaciter ferri in id, quod credit esse impossibile, dico, non posse in id ferri absolute, posse tamen sub conditione, in quantum potest; ut constat in exemplo baptizantis allato pro

tertio Argumento h. præc. Quaritur 7. an casu, quò aliqui per errorem contraxerunt Matrimonium invalidè, si stante illo errore contraxerunt Matrimonium invalidè, & stante illo errore, denuo consentiant, per hunc consensum Matrimonium convalescat? Casus esse potest: Titius fidei consensit in Matrimonium; postea audit à Confessario, vel viris doctis valuisse, & id credens denuo consentit. Hoc casu Tabien. V. Matrimonium 2. q. 7. n. 8. ad fin. putat Matrimonium convalescere per consensum illum novum ex errore pro-



fectum; quia hic error nec est error personæ, nec conditionis, qui solus annullat Matrimonium, sed est error Juris, quo hic putat se ligatum esse cum illa uxore.

359 Sed dicendum non convalescere. Ita Sylv. V. Matrimonium 5. q. 10. Victoria relect. de matr. p. 1. n. 10. Henriq. l. 11. de matr. c. 9. n. 7. & in fin. Sanch. l. 2. de matr. D. 34 n. 2. Gutier. c. 47. de matr. n. 2.

Ratio est; quia nihil tam contrarium est consensui, quam error, ut ait Ulpianus l. si per errorem 15. ff. de Jurisdic. Proceditque hoc, etsi ita consentiens habitualiter sic dispositus sit, ut cognito, quod uxori huic non ligetur, adhuc esset consenturus, ut bene Gutier. cum cit. quia ad Matrimonium requiritur consensus voluntarius de presenti, & non sufficit, ut illud sit voluntarium solum in habitu, & in animi preparatione. Conf. quia dum denuo consentit, non intendit denuo contrahere novum Matrimonium, cum existimet prius esse validum, sed tantum intendit præteritum ratificare, quod cum nullum fuerit, ratificari non potest.

360 Ad Argumentum in contrarium allatum dico, eum errorem reduci ad errorem personæ; putat enim conjux se consentire in suam, cum revera non sit sua. Imò est major error, quam personæ, cum integram contractus substantiam ignoret, & prorsus, quid agat, nesciat. Neque obest, quod in casu, quo adhuc consentiret, si sciret Matrimonium esse invalidum, ipsum Matrimonium non sit involuntarium; dicendum enim

non esse involuntarium contrariè, esse tamen involuntarium negativè, cum error faciat, ut illud non sit voluntarium positivè, quod, ut dixi, requiritur ad legitimum contractum Matrimonij.

Quæritur 8. an in proposito casu Matrimonij invalidè per errorem contracti, ut istud novoposito consensu convalidetur, necessarium sit utrumque conjugem consensum esse impeditenti, ob quod irritum fuit Matrimonium? Negativam docent complures DD. quos refert Sanch. l. 2. de Matr. D. 36. n. 2. Putant isti, non esse necessarium, ut conjux impeditenti consensum, obtenta dispensatione, vel Impedimento aliter cessante, nullitatem Matrimonij aperiat alteri, sed sufficere, si cautè curet utriusque consensum renovari, dissimulante petendo ab altero, ut pro sua consolatione ipsum habeat in conjugem, & ipso similiter dicente: *Ego quoque volo te in conjugem.* Rationem præter alias dant istam; quia ablato impedimento sunt habiles ad contrahendum, Ergo cum consentiant in Matrimonium, illud erit legitimum.

Sed longè probabilius sentiunt, qui eodem Sanch. n. 4. dicunt, necessarium esse, conjugem impeditenti ignarum aliquo modo certiore fieri de prioris Matrimonij nullitate, licet causa ei tegatur. Ratio est; quia aliàs errore consentiet, & intendet prius Matrimonium, quod errore contractum, ratificare, non autem contrahere novum.

